ALEXANDER PP VI VALENS FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONVM

GABRIELIS PALAEOTI

S. R. E. CARD.

De bono Senectutis.

Libri Tres.

Corona Senum multa peritia: & gloria illorum timor Dei.

Ecclesiast. xxv.

CVM PRIVILEGIO.

UNIVERSIDAD LITERARIA

VENETIIS,

nimam Societatem. M D XCVIII.

Permissu Superiorum.

ALEXANDER PP VI
VALENTINVS FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONUM

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D. ALPHONSO PALAEOTO
Archiepiſcopo II. Bononien.

Mihi multis nominibus, ac ſummopere colendo.

FRANCISCVS ODO REDVS
Canon. Theol. ac I. V. D. Bonon S.

VM anno ſuperiore, ab Vrbe demandata mihi fuiſſet prouincia, vt librum hunc,

de Bono Senectutis, Amplissimi & fœ. me. Cardin. Palæoti (cuius iam omnia exemplaria prius Romæ impressa distributa reperiebantur, & distracta) vt multorum desiderio satisfieret, Venetijs denuo imprimendum atque euulgandum curarem, opus ipsum, ob frequentia impressoris impedimenta, adeo retardatum fuit, vt Illustrissimo eius authori, quemadmodum statueram, & parerat, dicari, præsentaliq; nequiuerit. Quare summa ratione nunc factum arbitraberis, Illust. & Reuerend. Præsul, si tibi, qui agnatione, pietate, ac summis virtutum laudibus eidem Authori coniunctus, & in Bononiensi

mensi Archiepiscopatu successor dignissimus existis, illum dicare statuerim: cui præsentis editionis labor, & si qua inde erit laus, iure optimo debetur, cum ipsius operis ex se laudatissimi, approbatione ac tutela: Quibus quoque multipliciter tibi debita seruitus, ac antiqua deuotio mea accedunt, quæ vt incrementa capiant indies maiora, ne officio desim & pietati, omnem operam dabo. Tu interim Illustrissime Reuerendissime Antistes, qui in sublimi hac Seniorum specula nutu Diuini numinis es constitutus, acceptus Deo, gratus plebi, omnibus vt venerandus ita & amabilis Bono senectutis quam diutis-

diutiſſimè fruere, ac me tibi dediſſimum plurimum commendatum habe, meaque pariter obſequia quali acumque ſint, tibi officiose & perpetim qua fieri poteſt animi ſubmiſſione ac reuerentia ſcias eſſe delata. Bononiæ, Nonis Decembris. M D XCVII.



ALEXANDER PP VI VALENTINUS FERDINANDUS DEI GRA REX ARAGONIUM

ALEXANDER PP VI
FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONIM

GABRIEL PALAEOTVS S. R. E. CARDINALIS CHRISTIANO LECTORI

In Librum

DE BONO SENECTVTIS.

POSTQVAM diuinæ placuit benignitati, hunc qualemcunque vitę meæ cursum, per omnes ætatum gradus ad præsentem vsque canitiē perducere : operæ pretium esse existimaui, vt pro ingenij mei tenuitate, curarem magnos, quos secum extrema hæc ætas fructus afferre solet, paucis perspectos,

multis ignotos, ac vulgo penè incredibi
les habitos, publicè patefieri, non eo qui
dem consilio, quod Bonum hoc Sene-
ctutis audeam mihi ipsi vindicare; sed
potius, vt quo longius ab illo me abesse
sentio, eo grauius culpam accusans meã
posthac ad id quod supereſt vitæ spatiũ
vtilius occupandum, me ipsum vrgere,
atque impellere non desinam.

Verum quoniam argumentum hoc
eiusmodi est, vt in eo non omnes facile
conueniant, quinimmo tanquam pa-
radoxum posset à multis fortè haberi:
propterea quod Senectutem, quam ve-
teres MALAM AETATEM
dixerunt, ego contrario nomine tan-
quam salutare Bonum audeam insigni-
re. Idcirco tametsi hoc ipsum (fauen-
te Dei gratia) non obscuris argumen-
tis probatum iri confido: attamen quo-
niam non omnium ingenia rationibus
statim concedunt; visum fuit, ad com-
munia vniuersorum suffragia facilius ob
tinenda, valdè opportunum fore, vt viuũ
aliquod exemplar in ipsius libri limine
appareret; cuius auctoritate, ea quæ Se-

nectu

nectuti à nobis deferuntur, prudentiæ ſcilicet, experientiæ, integritatis, animi moderationis, ſanctimoniæ; aliarumque plurimarum virtutum inſignia, euidentiſſimè expreſſa elucerent.

Et quidem ex veteri hiſtoriarum memoria, & præſertim ex Eccleſiaſtica antiquitate, facile potuiſſent Senes multi produci, admirabili ſanctitate, & bonis illis cumulati, quæ nos loco ſuo commemoramus, nihilominus cum ea, quę aſpectui ſubijciuntur, manibuſque contrectantur, eò efficacius mentem arripiant, ac veritas ipſa tunc clara magis, inexpugnabiliſque reddatur: Exiſtimaui hominem viuentem, atque ante ominum oculos verſantem, qui Romæ, hoc eſt in Orbis terræ theatro, annos quinquaginta; & amplius ſumma cum laude vixit, & alios ad benè, & religiosè viuendum mirificè excitauit, & adiuuit, tanquam expreſſum, & viuum exemplar Senectutis illuſtrandæ, in medio ſtatuere. Is eſt Pater Philippus Nerius Florentinus, qui annum agens ætatis ſuæ LXXX. veluti procera arbos iam-

pridem multiplices virtutum ſuarum fructus populo diſpergit. Qui Congregationis ampliſſimæ, quæ Oratorij dicitur, primus in Vrbe Inſtitutor fuit; vnde aliæ multæ varijs in locis, & regionibus, in hunc vſque diem fuerunt felicius ter propagatæ. Quem olim multi ſummi Pontifices, & præſertim piæ memoriæ Gregorius Decimus Tertius, Gregorius Decimus Quartus, & hodie Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Octauus, ſæpè ad ſe, religionis, & colloquiorum piorum cauſa accerſere conſueuerunt. Ad quem frequentes amiſſimi Cardinales, Epiſcopi, Præſules, atque alij cuiuſcumque ordinis viri tum pœnitentiæ, tum negociorum grauiorum, tum etiam ſalubriorum ſermonum gratia accedunt. Qui terrenorum omnium bonorum contemptor, nullos niſi æternos honores, & dignitates quærit; licet apud ſummos Pontifices, & ampliſſimos Cardinales in magna ſemper auctoritate, & exiſtimatione fuerit. In quo denique ſapientiæ, religionis, ac pietatis exempla cum ſumma mode-

ſtudine.

tudine, hilaritate, ac Christiana simplicitate coniuncta, tam copiosè effulgent: vt qui in eum Senem, atque in veteratam morum eius disciplinam oculos conuerterit, nihil amplius in quo hæreat, & de Senectutis Bono vacillet, ei reliquum est de debeat.

HAEC ò pie, & beneuole Lector, fuerant iam à nobis non solum conscripta, atque in hanc ferè formulam redacta, sed etiam vna cum toto opere absoluta, ita vt nihil aliud quàm eadem typis imprimi supereſſet. Sed ecce æternũ summi rerum moderatoris consilium, quo vir Dei nonnihil quidem paulo ante affectus, ita tamen vt in cubili non detineretur, nec à consuetis actionibus impediretur, momento nobis ereptus fuit, atque ab hoc exilio, ad cœlestem patriam euocatus. Septimo Kal. Iunij.

Quo exitu tàm improuiso, & præter opinionem nostram sequuto; nos tamẽ pristinum consilium, quo Senem præstãtissimum, tanquam viuum exemplar, ad Bona Senectutis comprobanda proponere statueramus, minimè immutandum

dum duximus. Quanquam enim quarto circiter ab hinc mense visus ille fuerit oculis nostris mori.

Viuit tamen in regione viuorum veram uitam, vt ob pias, & præclaras illius actiones, sperandum est.

Viuit etiam in terris, in hominum bonorum, & piorum memoria.

Viuit præsertim in Vrbe Roma, vbi permultos ominum ordinum spirituales filios reliquit, quos genuit in Christo.

Viuit inter Alumnos Congregationis suæ varijs in locis dispersos; quorum etiam aliqui ad Christi oues gubernandas, à summo in terris Pastore, & Christi Vicario in regiones longinquas missi sunt: alij salutaribus sermonibus animas Christo lucrari studeut: alij illustribus scriptis, & monumentis templũ Dei, quod est Ecclesia Catholica, pro sua virili parte ornant, atque ædificant.

Sed viuit præcipuè, tanqnam dilectissimus parens, in hac ipsa charissima filia à se genita, educata, ac mire locupletata, Vrbis scilicet Romæ societate: quam

etiam

eum ipſemet olim laboribus, vigilijs, ſolicitudineque ſua erectam, ac fundatam, ſanctiſſimæ diſciplinæ regulis communiri; in poſterum de eius fructu propagando ſolicitus, vnum ex antiquioribus eius Alumnis, & inter Sacerdotes domus, presbyterio vetuſtiorem, Annalium Eccleſiaſticorum ſcriptorem, omnibus ſatis notum, & noſtris laudibus non indigentem, qui ei Præfectus futurus eſſet, pridem deſignauit: adiunctis eidem alijs multis magnæ Doctrinæ, atque integritatis collegis; qui audiendis confeſſionibus, ſacris ſermonibus habendis, Eccleſiaſticis libris conſcribendis, ſacramentis adminiſtrandis, pijſque alijs muneribus exercendis, operam ſuam nauant.

Quæ tam preclara eius opera, cum in dies magis augenda, atque omnibus eſſe vbiq; patefacienda, ſit ſperandum: nos eiuſdem etiam effigiem exprimendam hoc loco curauimus, vt eos conſoletur, qui eum vt parentem in Chriſto dilexerunt; alios, vt eius nominis fama permoti, ad illius imitationem excitentur:

tur: denique, vt posteri perpetuum habere in conspectu monumentum possint, vnde Bona Senectutis agnoscere, atq; iam (vt par est) reuereri assuescant: nam de eius morte, & migratione ad Dominum, cum fuerit illius peregrinationis exitus reliquo sanctissimæ vitæ cursui anteacto consentaneus, & ille ita planè, sicuti vitam egit, eandem etiam concluserit, non sine magnis illius sanctitatis argumentis, nos hæc alijs plenius enarranda relinquimus: contenti interim, ea quæ DE BONO SENECTVTIS, in plures huius commentarij partes contulimus, hoc loco veluti compendio quodam, efficta ad viuum illius imagine, tanquam beatæ Senectutis exéplari, ante omnium oculos fideliter stare visse. Romæ Anno D. N. Iesu Christi. MDXCV. Mense Septembri.

DE BONO SENECTVTIS PRAEFATIO AVCTORIS.

INTER omnia, quæ in hac admirabili mundi machina, à summo Creatore condita fuerunt; constat communi omnium sapientum consensu, hominis opificium, & fabricam maximè eminere: in qua, vniuersa ea, quæ in singulas Orbis partes à Deo sunt distributa, strictim quodammodo collecta reperiuntur; nempe vt homo ipse, hoc cum elementis commune haberet, quòd esset: cum plantis, quòd viueret: cum animantibus, quòd sentiret: cum Angelis demum, quòd intelligeret, ac liberi arbitrij facultate potiretur.

Qua ratione, hominem omnis creaturæ appellatione in Euangelio expressum fuisse, aliqui senserunt; quòd vniuersa in eo natura, & proprietas rerum omnium, quæ creatæ essent, inueniretur. Quasi totius orbis ἐπιτομὴν, ideſt compendium voca-

vocauerunt; quasi Deus sexto die, post creata omnia illum producens, ratiocinatores fuerit imitatus, qui post dati, & accepti calculos in singulos dies relatos, summam cunctorum in calce supputare solent. Alij etiam prout veteres Philosophi, eum Microcosmi, quasi parui mundi titulo nuncuparunt.

Verum sapienter admodum à S. Nazianzeno animaduersum fuit a, hominem positum fuisse, οἱόν τινα κόσμον, ἐν μικρῷ μέγαν ἐπὶ τῆς γῆς, tanquã alterum mundũ, in paruo magnum super terram. Quod Niceras explicans ait b, non parui mundi, sed magni nomen illi conuenire; non solum quia vltra ea, quæ in mundo hoc sensibili continentur, ille præterea, ratione, & intelligentia sit præditus; sed etiam quòd mundus hic, hominis causa, non homo mundi gratia conditus fuerit: quod enim alicuius causa factum est, inferius est eo, propter quod factum est; & ideo ait ille, χρὴ μέγαν κόσμον τὸν ἄνθρωπον ὀνομάζειν. idest, oportet magnum mundum, hominem nominare.

a S. Nazianzen orat. 2. in Pasch. pag. 443.

b Niceras ead. at pag. 456.

Hinc certe constat, Gentiles permultos, nondum religionis lumine illustratos, huius Dei opificij contemplatione, atque admiratione captos, ad diuinam naturam aliquo modo demonstrandam, argumentum maximè arripuisse; cogitantes sapienter, tam præclarum, exquisitumque artificium nulli alteri, quàm infinitæ potestati congruere potuisse.

Inter cæteros verò Galenus præstantissimus medicus, postquam septemdecim mirificis, & ratiss-

ratissimis libris singula humani corporis membra, eorumque functiones diligenter admodum, ac plus quàm dici possit, minutè fuit persequutus; totus aliquando in stuporem versus, & tanquam cęlitus afflatus, sequè philosophum, ac medicæ artis professorem oblitus, & in sacræ Theologiæ adyta, cum summa quadam admiratione pertractus (quod alij etiã obseruarunt a) in ea verba erupit, quæ hodie in eius commentarijs legimus in hunc ferè sensum b: Cædant alijs Dijs suis Hecatombas; thura illis, & victimas offerant; erigant illis templa, & quibus uis illos laudibus colant, & honoribus: mihi n. illius præcipuè bonitatẽ venerari est propositum, qui tanta homines beneuolentia voluit complecti: sapientiam, qui tanto consilio hominis huius structuram nouit ordinare: potẽtiam, qui singulas eius partes tam perfectè implere, atque in vsum inducere potuit, admirandumque omnibus sæculis hominem tanquam de cœlo cœlestem nobis demittere.

a Granat de Symb. par. 1. ca. 23.

b Galen. de vsu par. li. 3. c. 10. & li. 17 ca. 1. post medium.

Quod argumentum sacri auctores nostri, Græci, atque Latini, post effusam in nos fidei lucẽ, præclaris suis commentarijs amplexi, atque hominis originem, lapsum, instaurationem, ac reliquum eius progressum altius edocti, magna sacrarum literarum supellectile exornarunt, ac fructu ad finem, qui Christianis viris propositus esse solet, adipiscendum locupletarunt.

Quamuis igitur hæc ipsa, quæ ad hominis structuram pertinent, adeò communi omnium ferè gentium, & nationum sensu fuerint recepta, vt de illis

illius opificio, ac partibus quicquam dubitare an ſapienter, an ordine, an vtiliter, & prout oportebat, in eo fuerint diſpoſitæ, & diſtributæ, rudis potius, ac præpoſteri ingenij eſſe videatur; tamen quæ multorum eſt vanitas, aut magis peruerſitas, non defuerunt olim, qui hanc ipſam hominis fabricam ab exteriori tantum eius ſpecie æſtimantes, atque hominem, nudum, inermem, imbecillũ, omniumque elementorum iniurijs expoſitum cernentes, grauiter arguere non ſunt veriti; & tanquam ædificium magno compactum artificio, ſed ſolido carens fundamento, ac leui ventorum flatu facile ruiturum videntes, damnandum potius illius auctorem, quàm commendandum eſſe cenſuerunt.

Alij cautius totum opus obſeruantes, nec graue quicquam, quod eos iure offenderet, inuenientes, nimis tamen curioſe quærentes quod carperent, exemplo eorum, qui in Palatio Regio omnibus ſymmetriæ numeris abſoluto, ad minutiora quædam contradicendi ſtudio ſe conuertunt, & nunc feneſtellam, nunc hemicyclum, nunc tegulas, ſiue quid eiuſmodi perſtringunt. Sic in fabrica hominis fuerunt aliquando, qui vt plus alijs ſapere viderentur, plantas pedis, vt anguſtiores, ſiue digitos, vt breuiores; alij, qui crura, qui auriculas velli care ſunt moliti: quorum inſaniam, ac temeritatem ne recenſere quidem, nedum eorum refelli argumenta, dignum eſſe iudicamus; præſertim, cum id à pluribus auctoribus cumulatiſſime fuerit præſtitum.

Verum

Verùm alij paulo interius, huiusmodi decus, atque eius dignitatem præ cæteris animantibus spectantes, cum eam magnis in hoc mundi theatro circumuentum vndique insidijs, ac calamitatibus agnouerint, ac sine vllo eius crimine tam multa sæpe flagella sustinentem, eo prolapsi sunt, vt illius in hanc lucem exortum, totumque eius vitæ cursum miseratione dignum putarint, ac melius fuisse, eum non nasci, quàm tot laboribus, ac miserijs immerentem assiduo opprimi.

Alij non huiusmodi vitæ conditionem, sed niniam eius breuitatem redarguerunt; alij sigillatim omnes eius partes accusarunt: Infantiam, quòd ferè tota luctu, & lacrhymis contineatur: Pueritiam, quod parum a brutis, virga, & flagello dirigendis, absit: Adolescentiam, quod in libidines, contentiones, temeritatemq. sit effusa: Viridem ætatem, quod ambitioni, inuidiæ, perturb[illegible] nibusque reddatur obnoxia: In Senectutem v[illegible] præcipuè inuecti fuerunt, quod homo declinam[illegible] ætate; adeo languore corripiatur; ac viribus eneruetur, vt iam muneribus tum priuatim, tum publice gerendis reddatur inualidus, ideoque pr[illegible] sus inutilis efficiatur, alijs multis eius angustijs ac cumulatis, quibus eam in commune omnium odiũ, ac vituperationem adducere sunt conati.

Et quoniam veterem hanc esse quodammodo querimoniam animaduertimus, fabulis etiam poetarum, ac prouerbijs olim iactatam; non possumus nos non istorum audaciam demirari, qui eam ætatem præ alijs se abhorrere ostendunt, ad quam ne-

mo

mo est prorsus, qui non cupiat aliquando peruenire, atque diutius eiusdem societate perfrui.

Et quamuis post Platonem, Cicero Catonis nomine, præclaro illo de Senectute libro, nonnulla quæ circumferebantur obiecta, diluere conatus fuerit: quoniam tamen (vt multis videtur) non omnia, quæ tunc necessaria erant complexus est; & præterea post sanctissimam Christi disciplinam magna Senectutis præsidia fuerunt in mundo patefacta, quibus tamen non satis animaduersis, non desunt aliqui quotidie multa Senio incommoda obiectare: existimauimus nos, qui iam diu vitæ huius fluctibus agitati, hoc tandē Senij portu excepti sumus, & quib. cum frequenter familiares nostri sermonē de occidentis humanæ vitæ statu suscipere solent, rē ab vitæ nostræ ratione, atq. huius, quod gerimus muneris instituto, minime abhorrentem fa[illegible]ros, nec operam inutiliter collocaturos, si exliquid hoc argumento, literis mandare curemus; vt dispersam hanc iampridem inter homines, ac non minus falsam, quàm Christiano indignam sententiam, quoad per nos fieri poterit, ex hominum mentibus euellamus.

Ad quod munus nos in primis excitatos fuisse agnoscimus, præclaro Ambrosij Mediolanensis Episcopi viri sanctissimi exemplo: Nam quemadmodum ille, cum cerneret suo tempore tot acerba, atque horribilia de Morte circumferri, noluit prætermittere, quin ad has opiniones refellendas, libellum de Bono Mortis conscriberet: sic nos, licet infimi, cum Senectam adeo iniquè à multis tradu-

ci videamus, aut certe non debitum illi iuxta sacrarum scripturarum, ac canonum præceptiones, honorem deferri; nonnulla de Bono Senectutis, pro tenui facultate nostra, in vnũ colligenda duximus.

A quo quidem proposito, nequaquam id nos auertit, quod sciremus de priuilegijs Senectutis, pridem non solum insignes aliquot Iurisconsultos fusè satis, & accuratè conscripsisse; sed etiam auctores alios de Senectutis commodis, & incommodis in vtramque partem, quamplura literis tradidisse. Nam cum eorum labores ad ea tantum, quę præsenti huic vitæ prodesse, aut obesse solent, in primis pertinuisse conspiciantur, nos ea quidem minime contemnentes, sed Senectutis Bonum longe sublimioribus, ac solidioribus dignum honoribus iudicantes; diuerso etiam à communibus hisce suffragijs instituto, id prosequendum, atque alijs communicandum esse censuimus.

Qua ex re illud etiam commodi facile, Deo iuuante, consequi posse confidimus: vt luce veritatis diligentius conquisita, & patefacta, æquius cum cæteris Senibus feramus ea, quæ pro fragilitate nostra aliquo tempore, huius ætatis incommoda videri potuissent.

Hincque fore speramus, vt ab alijs etiam, qui nobis ætate, & beneuolentia coniunctissimi sunt, si hæ nostræ qualescunque commentationes in manus illorum forte peruenerint, multis in vnum ad amoliendas molestias collatis præsidijs, hæc postrema ætas aut iucundius, aut certe commodius transigi valeat.

PRÆFATIO AVCTORIS.

INTERIM verò illum ſupplices rogamus, qui Antiquus dierum dicitur, & coram quo viginti quatuor adſtant Seniores; vt ſapientiam, quam in canis vigere voluit, nobis dicendo ſubminiſtret, fructuſque Senectute dignos vberrime largiatur; vnde gloriam eius magis illuſtrare, vniuerſorumque ſaluti plenius proficere, eodem donante, valeamus.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI DE BONO SENECTVTIS

In tres Partes diuisi.

PRIMA Pars à Senectutis nomine, proprio, ac translato exorditur: postea eiusdem initium, progressum, atque alia ad id attinentia persequitur: tum Gentilium varias de Senectute opiniones recenset: quæ ad quatuor præcipuas rediguntur, atque in singulis, quid confutandum sit, ostendit.

INDEX PRIMAE PARTIS.

Senectus ab auctoribus varie sumpta. pag. 2
Senectus dupliciter, proprie, & translate. 2
Senectus propriè. 3
Senectutis nomen translate sumptum. 6
De Senectutis initio. 10
De Senectutis progressu. 13
De Senectute proroganda. 16
Gentilium de Senectutis conditione variæ sententiæ. 20
Bonum apud Gentiles quo sensu sumatur. 21

Gentilium opiniones de Senectute.

PRIMA opinio Gentilium de Senectute, & alijs ætatibus, naturam ipsam criminantiũ. 23
Aduersus priorem Gentilium de Senectute sententiam.

tentiam. pag. 27
SECVNDA opinio Gentilium Senectutem multipliciter accusantium. 31
Animi molestia in Senectute. 32
Mala corporis Senectutem vexantia. 34
Mala extrinsecus Senes perturbantia. 35
TERTIA opinio Gentilium de Senectute. 37
Ad tristitiam minuendam subsidia. 39
Senilis mentis curaquadam, medicorum operâ iuuari, alia curari nequeunt. 40
Philosophorum remedia ad Seniles molestias subleuandas. 43
Tristitia Senilis causa est insatiabilitas. 44
QVARTA opinio Gentilium de Senectute. 47
De libro qui inscribitur, Cato de Senectute. 49
Quadam generalia, de prioribus Gentilium opinionibus. 50
Gentilium errores de Senectute loquentium, vnde. 53
Gentilium dicta de Senectute, non inutilia fuisse. 58

REX ARAGONIM · ALEXANDER PP VI · FERDINANDVS DEI GRA

Se-

INDEX

SECVNDA PARS.

SECVNDA Pars, de Senectute ex Christiana disciplina disserit; illius originem declarat; quomodo hæc nomina, Bonum, & Senectus, hoc libro ex Theologorum sententia sint accipienda, aperit; tum quibus radicibus, seu fundamentis hoc Bonum nitatur, demonstrat; deinde Senectutem ab omnibus, quæ possent illi vitia obijci, defendit: & ad extremum, de Senili auaritia latè disputat.

INDEX SECVNDAE PARTIS.

Vnde Senectus, & languor in homine. pag. 62
Quod homo semper aliquibus cibis indiguerit. 63
De ligno vitæ, & ligno scientiæ boni, & mali. 64
Ex primi parentis noxa, multiplicia in hominem mala defluxisse. 66
Bonum quo sensu hic accipiendum. 67
Senectutis nomen quo sensu in hoc libro accipiendum. 68
Non posse certam Senili statui regulam constitui, & quare. 70
Senectutis bonum etiam ad Senes languentes pertinere. 73
Errare illos, qui citra corporis sanitatem nihil Senectuti tribuunt. 76
Exempla longissimarum ætatum. 14. & 78.

INDEX

Boni nomen cur magis Senectuti, quam alijs ætatibus sit deferendum. pag. 79

Radices quinque Senilis Boni.

PRIMA radix Senilis Boni, quod minus vexatur perturbationibus. 8

Perturbationes in adolescentia. 84

Perturbationes in media ætate. 87

Senectutis status præ alijs ætatibus. 88

SECUNDA radix Senilis Boni, est experientia. 89

Experientia, quã proficua ad omnes vitæ vsus. 91

Experientia in rerum naturalium cognitione, quàm salubris. 93

Experientia ad res mundi contemnendas mirifica. 95

TERTIA radix Senilis Boni est prudentia. 97

Prudentia Christiana distat à politica. 98

Prudentia necessaria in rebus publicis. 99

Prudentia necessaria in rebus priuatis. 101

Prudentia cur potius Senij, quàm aliarum ætatum. 102

QVARTA radix Senilis boni est meditatio mortis. 106

Reddendæ rationis post mortem cogitatio, quantum proficiat. 108

QVINTA radix Senilis Boni est auctoritas cum dignitate. 114

Auctoritas in Senectute vnde. 115

Epitome superiorum, quibus Christiana vita vt plurimum nititur. 118

Peccata quomodo in Senectute facilius, quam in alijs ætatibus vitentur. 121

Sitne

Sileni imagines exterius deformes, interius elegantes, similes Senectuti. pag. 123

Variæ obiectiones aduersus Senectutem.

Prima obiectio; ex annorum incremento Senectutem inquinari. 126
Secunda obiectio; quod multis destituatur spiritualibus auxilijs. 128
Tertia obiectio: quod Senectus sit in iracundiam prona. 130
Quarta obiectio: ob breuitatem vitæ. 134
Quinta obiectio: cum Senectute varia vitia iungi. 136
Sexta obiectio: crescere quotidie fallacias, & insidias aduersus Senectutem. 139
Septima obiectio: de tristitia iuncta Senectuti. 140
Octaua obiectio: quod nimis vino, & potationi indulgeat. 142
Nona obiectio: Senes erga nepotes et posteritatem nimis affectos, & solicitos esse. 143
Decima obiectio: varia sparsim mala complectitur. 149

De Senili Auaritia.

VNDECIMA & vltima obiectio sex articulos de Senili auaritia continet. 153
Auaritia varijs modis, & quo sensu hic sumatur. 156
Auaritia, quare in vitio habeatur. 158
PRIMVS articulus: In Senibus cur auaritia frequentior, quam in alijs ætatibus. 159
SECVNDVS articulus: Quid turpius in auari-

auaritia : an acquirendi, an retinendi stu-
dium. pag. 162
TERTIVS articulus varia signa ad detegen-
dum auaritiæ Senilis vitium continet. 168
Primum signum auaritiæ. 170
Secundum signum auaritiæ. 170
Tertium signum auaritiæ. 172
Quartum signum auaritiæ. 172
Quintum signum auaritiæ. 173
Sextum signum auaritiæ. 173
Insidiæ dæmonis ad fouendam in Senibus auari
tiam. 174
QVARTVS articulus prætextus varios ad fo
uendam auaritiam continet; Quorum
Primus: propter conseruandum in posteris sta-
tum. 176
Secundus: propter necessitates superuenturas.
177
Tertius: non habere apud se pecuniam in nume-
rato. 178
Quartus: ne matura ætas ab alijs contemna-
tur. 179
Quintus: vt maturis de re danda delibere-
tur. 181
Sextus: crimina vitare: et bona quandoque fa-
cere. 183
Septimus: vt Senes se ære alieno astrictos osten-
dant. 185
Octauus: damnare alios. ostendere se eos odisse.
qui auaritiam sectantur. 186
Nonus: fructus Ecclesiasticos in bona sæcularia
conuertere. 186
Decimus: modestiæ specie, sumptibus parce-
re. 187
QVINTVS articulus; de remedijs ad Senec-
tem.

lem auaritiam curandam. pag. 188
Primum remedium aduersus auaritiam; diuinam gratiam implorare. 189
Secundum remedium; agnoscere; opum solicitudines & pericula. 190
Tertium remedium; obsistere initio auaritiæ. 192
Quartum remedium; acquirendi affectum ad alias res transferre. 193
Quintum remedium: multa crebro, & libenter dare. 194
Sextum remedium; curare, vt opum distributio respondeat redditibus. 195
Septimum remedium; propinquorum contubernia vitare. 197
Octauum remedium; pecuniarum omnium intuitum declinare & œconomos constituere. 199
Nonum remedium; occasionem dandi quærere, & exercere. 201
Decimum remedium; suspectum semper se habere auaritiæ criminis. 202
SEXTUS articulus: quod auaritia congruo sensu accepta Bonum senectutis adiuuat. 203
Auaritia in bonam patrem. 20[illegible]
Damonis astu deorsum deflecti hominum studia, sursum dirigenda. 207
Senilis ætas, quomodo se ad terrestria bona transtulerit. 209
Spiritualis auaritia Bonum Senectutis confirmat. 210

TER-

INDEX

TERTIA PARS.

TERTIA Pars, post aliquot declarationes, ostendit quibus gradibus ad Bonum Senectutis sit perueniendum: tum de fructibus, quos parit Senectus. Quæ omnia sacrarum litterarum, & sapientum auctoritatibus, & exemplis confirmantur.

INDEX TERTIAE PARTIS.

Sex declarationes ad Senectutis Bonum spectantes.

Prima; Bonum Senectutis non omnia bona complectitur. pag. 212

Secunda; Bonum Senectutis, ac Bonam Senectutem idem non esse. 214

Tertia; Senilem ætatem mediæ præferendam. 223

Adolescentia, & media ætas, cum Senectute non conferenda. 223

Quarta Languorem, & infirmitates ad virtutem sæpe conferre. 228

Aduersa humanæ vitæ, nec bona, nec mala, sed ex fine iudicanda. 231

Quinta; De Senibus, qui corpore possunt laborare; & de iis, qui à languore impediuntur. 233

Sexta; An bonum cum malo aliquando coniungatur. 237

Ad Bonum Senectutis naturalem ætatem non sufficere, sed alia requiri. 240

Obser-

INDEX

Obseruatio trium temporum ad Senectutis Bonum obtinendum.

DE ADOLESCENTIA instituenda.

Ad Senectutis bonum, adolescentia disciplinam valde conferre. 243

Prauos adolescentia mores Senectuti plurimum obesse. 247

Adolescentia excolenda, vt bonum pariat Senectutis. 249

Cura Societatis Patrum Iesuitarum in adolescentia instituenda. 251

Exempla multorum, quorum proba Senectus ab adolescentia inchoauit. 255

Bonum Senectutis non tribuendum adolescentiæ. 256

Praua adolescentiæ mores, in Senectute curandos esse. 258

DE MEDIA AETATE. 258

Teneri vnumquemque ad suæ vitæ statum exercendum. 261

Quomodo prouidendum multis, qui inopia ingenij, vel opum, munus suum non obeunt. 264

Tempus quomodo occupandum. 269

DE SENECTUTE, & eius BONO. 270

In Senectute plura, quam in alijs ætatibus meritarequiri. 271

De vitijs in Senectute fugiendis. 272

Bonum Senectutis recte dici cum laboribus coniunctum. 274

De 275

INDEX

De fructibus Senectutis.

DE fructibus varijs Senectutis. 277
Fructus dupliciter considerari. 278
Fructus maturæ ætatis quomodo ostendãtur. 279
Fructus Senectutis triplices: erga Deum, erga proximum, erga seipsum. 283
De Theologicis virtutibus in Senectute. 284
De Religione. 285
De deuotione. 286
De oratione. 287
De grati animi virtute erga Deum. 288
De timore Dei. 289
De animi fortitudine. 290
De fructu Senectutis erga proximum: scire, posse, & velle. 291
De loquendi libertate. 292
De alijs Senum virtutibus. 294
De vtilitate conscribendorum librorum. 294
De fructu Senectutis erga se ipsum. 295
Proprij amoris curatio ex Senectute. 298
De Senectutis laudibus ex varijs auctoribus.
Ex sacris literis in honorem Senectutis. 301
Seniores in sacris literis quanto in honore habeantur. 306
Apud Sanctos, & alios Ecclesiasticos honor Senectutis. 308
Honor Senectuti tributus apud omnes fere populos. 309
Ex antiquitate, nobilitatem, & alia ornamenta oriri. 314
De priuilegijs Senectutis apud Iurisconsl. & alios 320

PERORATIO TOTIVS OPERIS. 323

IN

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Quæ in hoc opere continentur.

AARON, & Moysem Deus deligit, grandes natu. pag. 303
Abbas Macarius Alexandrinus cur παιδαριογέρων vocatus. 6
Abbas Or in monte Nitriæ Senex decorus. 5
Abbas Zosimus vixit propè 120 annos. 14
Abbatis Moysis dictum, de Senibus ignauis. 272
Abbatis Pauli ægri virtus admirabilis. 74
Abrahæ beata Senectus discutitur. 217
Abrahæ primum tanquam patri credentiū bona Senectus distincte magis, quàm alijs promissa fuit. 220
Achillis robur. 262
Actiones bonæ, maturæ ætatis fructus. 279
Actiones immanentes, sunt perfectiones ipsius agentis 232
Actionum grauitas debet respōdere grauitati annorum. 117
Actus exterior habet meritum ab interiori. 73. 129
Actus ratiocinandi ad Senes spectat maximè. 104
Actus virtutis nihil aliud est, quàm bonus vsus liberi arbitrij. 279
Actus vitæ extremus, vocatur Senectus.
Adagium. *vide*, Prouerbium.
Adam primus, & secūdus, quis, & qualis sit. 327
Adarchias Senior donatur præmio victoris. 312
Aditus ad virtutem facilior in Senectute. 122
Adolescentes quomodo regendi. 85
Adolescentes præstare Senibus in rebus apprehendendis. 103
Adolescentum excusatio. 247

Ado-

INDEX

Adolescentum delicta quomodo possint curari. pag 262
Adolescentiam, & mediam ætatem Senectus antecellit. 224.
Adolescentia Valentiniani Imperatoris. 248
Adolescentia intemperans effœtum corpus tradit Senectuti. 249
Adolescentia excolenda, vt Bonum patiat Senectutis. 258
Adolescentia, & virilis ætas sunt Senectutis ministræ. pag. 258
Adolescentiæ conditiones. 85
Adolescentiæ prauos mores, in Senectute curandos. 261
Adolescentiæ fundamentis multum inniti Senectutem. 243
Adolescentiæ rationes etiam ad mediam ætatem pertinere. pag. 264
Adolescentiæ delicta minus puniri aiunt Iurisconsulti. pag. 84
Adolescentiæ instituendæ ratio quæ sit 243
Adolescentiæ disciplinam valde conferre ad Senectutis Bonum. 247
Adolescentiæ prauos mores Senectuti plurimum obesse. pag. 249
Adolescentæ vita recensentur. pag. 259
Adolescentiæ perturbationes. pag. 84
Adolescentiæ vitium prosequitur Senectutem. 250
Adolescentiæ non esse tribuendum Bonum Senectutis. 258
Adolescentes primordia seruare debent, qui ad honoratam aspirant Senectutem. 259
Aducrsa, & mala omnia ad tria capita redigi, animi, corporis, & externa. 3
Aduersa humanæ vitæ, nec bona, nec mala, sed ex fine iudicanda. 231
Aegyptij se primos omnium mortaliu.m asserebant. 310
Aegyptij in hieroglyphicis Senem representabant homine musicum. 310
Aegyptij Senem effigie Cygni exprimebant. 310
Aegyptij iuniores, obuijs maioribus natu varios deferebāt honores. 310
Agritudines corporis cum animi morbis valde conueniūt. pag. 193
Aegrotare minus solent Senes, quàm iuuenes. 138
Aegrotos quosdam incanuisse. pag. 4
Aeliani, & aliorum exempla aduersus vitia Senectutis. 37
Aeschines ait, Seniores ob experientiam optimè Ciuitati cōsulere. 311
Aetas mala est Senectus. 53
Aetas senilis quomodo se ad terrena bona transtulerit. 209
Aetas media ita perturbationibus exagitatur, vt tunc ratio non sit perfecta. 225

Aetas,

INDEX

Aetas, quæ à Grecis, γήρας appellatur. 4
Aetas. *vide* Maturitas, & Auctoritas.
Aetas virilis est media inter adolescentiam, & Senectutem. pag. 264
Aetas summa Senectus dicitur. pag. 329
Aetas, quam Græci πρεσβεῖον. vocant. 2
Aetas Isocratis. 75
Aetas Platonis. 75
Aetas sapientæ condimentum est; sapiens ætati cibus est. pag. 118
Aetas media quomodo instituenda sit, multi scripserūt. pag. 264
Aetas Senectutis vita immaculata. 8
Aetes senilis dicitur, quæ matura iã ætate incunte, mortis terminum antecedit. 2
Aetas virilis ad virtutum chorum complectendum Senectuti non est æqualis, nec adolescentia. 280
Aetatis causa Senatores dici. pag. 8
Aetatis causa Seniores in sacris literis dictos fuisse. 8
Aetatis maturitas iure suo auctoritatem postulat. 249
Aetatis senilis plerumque socia est grauitas. 117
Aetatem senilem mediæ præferendam esse. 223
Aetatem Senilem ad præmia immortalitatis obtinenda reliquis aptiorem esse. 224
Aetatem teneram facile flecti. pag. 24
Aettaẽ naturalem ad Bonam Senectutis non sufficere pag. 240
Aetatem malam veteres dixerunt Senectutem. 10
Aetate media homo habet integras vires animi, & corporis. pag. 217
Aetate quacunque licet reseruare pecunias ad honestas occasiones. 181
Aetates aliæ non sunt tam proptæ, quàm Senectus, ad omne virtutum genus. 80
Aetates aliæ pluribus implicitæ sunt culpis, quàm Senectus. pag. 80
Aetates hominum quatuor aliqui statuerunt, alij aliter. pag. 11
Aetatum longissimarum ...em pla. 8
Aetates cæteras Senectus animi tranquilitate superat. pag. 88
Affectus. Cyrilli exemplum contra nimium affectum propinquorum. 147
Affectus propinquorum aliter conuenit sæcularibus, aliter Ecclesiasticis. 146
Affectum nimium propinquitatis Sancti patres detestati sunt. 198
Affectus duos præcipuos, concupi-

cupiscendi, & krascendi. 132
Affectus etiam animi medicorum arte curari. 40
Aggredi, & substinere, sunt duo effectus fortitudinis. 162
Ἄγηρατον platanum quandam vocari. 5
Agricolturæ voluptatibus, & villarum recessibus Cato delectatus est. 38
Albania gigit quosdam canos à pueritia. 4
Alexandrum Regem Leonidis pedagogi sui uitijs infectum esse. 250
S. Ambrosius ait nullum diem sine peccato nostro præterire. 127
Amor cõsanguineorum immodicus, vitiosus est. 145
Amor erga coniunctos, ex se nõ est damnandus. 145
Amor immoderatus sui ipsius, est principium omnis peccati. 145. & 164
Amoris proprij curatio ex Senectute. 298
ἀναλήψιμον, quæ pars medicinæ sit. 42
Angues Senectã exuere, & stelliones. 9
Animal nullum esse ἄγηρον, id, est insenescibile. 16
Animalia quædam in Ponto vno die viuunt. 44
Animalia ἐφήμερα 26
Animæ vita appellata est Senectus. 112
Animus in Senectute quo magis viget, eo maxime augenda probitas. 272
Animi affectus aliquando medicorum arte curari. 40
Animi fortitudo maior probatur in Senibus. 290
Animi molestiæ in Senectute. pag. 31
Animi potior duplex est, inferior & superior. 105
Animo vilitatem afferre plantas nonnullas. 41
Animum senilem æstimant sapientes ex actionibus, non armis. 6
Annorum grauitati respondere debet grauitas actionum. pag. 117
Annorum accessio ad terrena despicienda robur adiungit. 298
Annis crescentibus an crescat sarcina peccatorum. 126
Antiquitas ad nobilitatem maxime pertinet. 314
Antiquum dicitur, quod est in magno pretio. 316
Antonius Aegyptius senex floridus. 5
S. Antonius laudat prudentiã. pag. 101
Apropthegma. *vide*, Dictum, & Adagium.
Apophthegma Marci Castritij Placentini ad Carbonem. pag. 100
Arbori senectus comparatur. pag. 277
Arbores in templo Salomonis quæ effictæ erant. 279

Ari-

INDEX.

Aristidis, & aliorum exempla abijcientium diuitias. 190
Aristoteles tabulas obscœnas pueris prohibuit. 252
Aristoteles tradidit, Senes difficilis esse spei. 95
Ars. *vide*, Medicina. 18
Artem medicã Anabatistæ dãnarunt. 18
Artes aliæ in actione, aliæ in factione versantur. 92
Articuli sex de Auaritia. 155
A spectu corporis, certum non posse ferri de Senectute iudicium. 5
Athenienses, & Aegyptij contẽdunt de antiquitate. 316
Athenienſium de maledictis Philippi Regis dictum. 139.
Auari nomen non effugit Marcus Crassus. 184
Auari aliquando benè viuunt, ne pecunias amittant. 183
Auaritia crimen sordidissimum in senibus. 154
Auaritia cur frequentior in Senibus, quàm in alijs talibus, pag. 159
Auaritia Senibus connaturalis, pag. 154
Auaritia idolorum seruitus. 159
Auaritia est spirituale peccatum. 200
Auaritia vitium capitale. pagina. 158
Auaritia congruo sensu accepta Bonum senectutis confirmat. pag. 203
Auaritia in bono sensu quando que vsurpatur. 205
Auaritia etiam monachos occupat. 15
Auaritia, morbus naturalis appellatur. 161
Auaritia omnium malorum radix, 193
Auaritia quàm sordidum sit vitium. 153
Auaritia spiritualis, quid sit. pag. 210
Auaritia quare in vitio habeatur. 158
Auaritia varijs modis, & quo sensu hic sumatur. 155
Auaritia versatur in abusu rei per diminutionem. 158
Auaritiæ aliud genus est, plus velle habere, quàm sufficit. pag. 156
Auaritia crimen potissimum in animi cupiditate, 179
Auaritiæ varia dæmonis tegumenta. 176
Auaritiæ duo sunt actus, acquirendi, & retinendi; & quis posterior. 162
Auaritiæ duplex nomen apud Græcos, πλεονεξία, & φιλαργυρία 159
Auaritiæ fouendæ in Senibus dæmonis insidiæ. 174
Auaritiæ nomen transfertur etiam ad alia, quæ repugnãt beneficientiæ. 156
Auaritiæ diuersa signa. 170
Auaritiæ senilis curandæ remedia. 188
Auaritiæ sensus duplex, vnus

turpior, alius nobilior. 156
Auaritiæ vnum genus est cum iniustitia coniunctum. 357
Auaritiam quomodo excusent seculares, & quomodo Ecclesiastici. 159
Auaritia simul & fraude detinentur, qui fructus Ecclesiasticos in bona secularia conuertunt. 186
Auctoris iudicium de Catonis sententia circa Senectutem. pag. 52
Auctoris iudicio de libro, qui inscribitur, Cato de Senectute. pag. 52
Auctoritas cũ dignitate, radix Senilis Boni. 114
Auctoritas Seni non crescit tantùm ex canitie. 271
Auctoritas in Sene vnde. 115
Auctoritas Senectutis apex. pag. 116
Auctoritatis gratia Seniores in Senatu dici. 8
Auctoritatis vtilitas. 114
Auctoritatis fructus capit honeste acta superior ætas. 244
S. Augustinus testatur gentiliũ opiniones 288 esse, de summo Bono. 55
S. Augustinus paulo antequam expiraret, libros dictauit, correxit, retractauit. 75
Aurum habet vim alliciendi. pag. 199

B

BALNEVM græce dici βαλανεῖον, quod anxietatẽ pellat. 39
Barba cuidam cana, in atrum de nuo colorem se vertebat. 1
S. Basilius ait, recte vocari senes, qui prudentia perfecti sunt. pag. 102
βαθυγήρως quis dicatur. 16
Beatitudo. *vide*, Felicitas.
Beatitudinis quædam prælu dia prægustat senex cęlestia medi tans. 300
Biantis dictum de viatico Senectutis. 248
Bonitas, & malitia actus exterioris pendet ab interiori. pag. 73
Bononiensis ciuis Tullius Fullonus ad 150 annnos ætatis peruenit. 14
Bonum an aliquando cum malo coniungatur. 237
Bonum apud Gentiles quo sensu sumatur. 21
Bonum diei, & bona dies differunt. 214
Bonum est, quod rei conuenit secundum suam formam. 67
Bonum est triplex, animi, corporis, & externum. 292
Bonum & præmium conuenire cuicunque ætati, sed præcipue senectuti. 275
Bonum hominis dicitur, quod est secundum vsum rationis. pag. 6

pag. 67
Bonum id tantum ab Auctore appellatur, cuius vsus secundum rationem est . . 148
Bonum mortis differt à bona morte. 214
Bonum non quærit extrinsecus instrumenta. 39
Bonum quo sensu hic accipiatur. 67
Bonum requirit plurimum temporis, vt acquiratur, aut conseruetur. 134
Bonum senectutis ad omnem senilem ætatem referri. 73. & 77
Bonum senectutis aliquando reperiri sine bona senectute, & econtra. 214
Bonum senectutis communi nomine, quid. 219
Bonum senectutis est honeste viuere. 214
Bonum senectutis est tanquam fructus senij. 241
Bonum senectutis non est naturale, aut omni seni commune. 240
Bonum senectutis non omnia bona complectitur. 292
Bonum senectutis rectè dici cũ laboribus coniunctum. 275
Bonum summum Stoici vbi collocarint. 66
Bonum verum sibi peculiariter vindicat maturitas annorum pag. 240
Bonum vulgari sensu dici quicquid ex appetendum. 17
Boni lumen maturitate annorum plus augeri. 127
Boni nomen cur magis senectuti deferatur, quam alijs ætatibus. 79
Boni quærendi causa datur vis concupiscendi. 132
Boni senilis plurimæ radices. pag. 81
Boni summi apud Gentiles, opiniones 288. 55
Bono senectutis vt perfruatur senex, quid agere debeat pag. 171
Bona quæ dicuntur Christianis & mala. 239
Bonorum tria genera; honestũ; vtile, iucundum. 31
Breuior via est ad mala, quam ad bona. 135
Breuitas vitæ obijcitur contra Senectutem. 134

C

CALAMITATES, & difficultates cur homines abhorrent. 229
Calamitates ex immodicis cupiditatibus ortæ. 82
Cælceus à podagra non liberat. 40
Caleb, est exemplum viridis senectutis. 78
Calumniis non satis liberasse Gentiles senectutem. 58
Canities reuerenda quæ sit. pag. 273
Canos à pueritia gigni quoſ-

dam in Albania. 4
Canus quidam puerulus Traianus nomine, apud Faliscos. 4
Capularis Senex qui. 16
Cardinalis Veronensis de recreanda Senectute exercitationes. 234
Carduorum flores γήρια dici. 3
Carmina S. Nazianzeni, in Senem morti proximum. 113
Castricij Placentini ad Carbonem apophtegma. 100
Casus, in rmitas, & senectus tres nuntij mortis. 128
Cato delectatus agriculturæ, voluptatibus, & villarum recessibus. 38
Catonis opinio altera falsa. 76
Catonis dictum de senectutis inopia refellitur. 76.218
Catonis robusta senecta annorum lxxxiiij. 77
Causa præcipua, cur vnusquisq; cupiat vitam in extremos annos prorogare. 331
Causam damni qui dat, damnum dedisse videtur. 112
Causæ non producunt effectus, nisi in materia bene disposita. 244
Certamina *vide*, Olimpica. & Gymnica.
Christi, & Christianorum vita comparatur imaginibus Sileni. 125
Christiani ad vitæ molestias ferendas spe præmij concitantur. 30
Cibo quod indiget, est suapte natura mortale. 64
Cibis aliquibus homo semper indiguit. 64
Cicero ad quatuor causas, Senectutis maledicta redegit. 42
Ciceronis de consolatione varia hominum iudicia. 28
Ciceronis errores quidam. 55
Ciceronis liber, de contemnenda morte. 107
Ciceronis liber de Senectute, Græcus habetur. 48
Ciceronis liber de Senectute, ostendit eum plurimi Senectutem fecisse. 29
Ciceronis libri de Consolatione argumentum. 24
Clementia diuina nunquam eos deserit, qui ad se confugiunt. 331
Climachi exemplum pręclarum de memoria mortis. 110
Cœlum. *vide*. Ianua. Regnum.
Cogitatio rationis reddēdę post mortem quantum proficiat. 108
Commentaria pręclara quędam de senilis ętatis laudibus. 300
Concilium Calcedonēse, de Oeconomis. 200
Concilium Tridentinum, de affectu ditandi consanguineos. 197
Cōcilia Caroli Mag. Holoniens. Meldens. & Pistens. 315
Conciliorū acclamationibus Patres precari solent multos annos Summo Pontifici, & alijs. 318

Con-

INDEX.

Conciliorum congeries, de institutione a doleſcentum . 254
Concupiſcendi vis datur ad bona quærenda . 132
Concupiſcentiam depellit maturitas Senectutis . 296
Conſanguineos ditanti affectu in ſenibus malus. 197
Conſciẽtia probe informata nullum maius eſt theatrum. 74
Conſecratio . *vide* . Epiſcopus.
Conſiliũ præcedit electionẽ. 121
Conſilium ſummum Lacedęmoniorũ. γερουσία dictum. 8
Conſilio, non viribus , res magnæ geruntur. 233
Conſilijs aptos eſſe ſenes . 309
Contentiones de antiquitate inter Aegyptᵒ Phrygas , Scythas . 316
Cõtubernia propinquorum vitare, eſt remedium auaritiæ. 197
Corporis ægritudines cum animi morbis valde conueniunt. 193
Corpora Senum remiſſionem à laboribus, & laxamentum poſtulant . 233
Cottæ dictum impium . 56
Cottæ quęſtio apud Cicer. 237
Crantor tradidit , homines luendorum ſcelerum cauſa in hanc lucem ingredi . 23
Creatura . *vide* . Homo .
Creſcere in ſcripturis dicitur bifariam: corporaliter, & ſpiritualiter . 271
Culpa originalis inuexit propenſionem ad vitia . 83
Culpa originalis non extinxit rationis lumen. 83
Culpa tum omittẽdo, tum committendo, contrahitur . 286
Culpam ſolam eſſe fugiendam, aut timendam . 129
Culpas in ſenibus multo grauiores, quàm in cæteris ſe prodere . 275
Culpis paucioribus implicita eſt Senectus , quàm aliæ ætates . 80
Cupiditas inſatiabilis, eſt cauſa omnis triſtitiæ . 45
Cupiditates hominum quibus conſiderationib. ſedẽtur. 296
Cura Patrum Ieſuitarum in adoleſcentia inſtituenda . 25
Curæ quædam mentis in ſenibus medicorum opera iuuari, aliæ curari nequeunt. 40
Cygni effigie ſenem Aegyptij exprimebant. 311
Cyrus apud Xenophõtẽ, eſt exẽplum viridis Senectutis . 78

D

DAEMONIS aſtu deorsũ deflecti hominũ ſtudia ſurſum dirigenda . 207
Dæmonis inſidiæ ad fouendam in ſenibus auaritiam. 174
Daniel fuit ſenex moribus . 6
Danielis duodecim annorum exemplum. 79
Dare multa, & crebro, eſt remedium contra auaritiam. 196
Dare pluribus aliquid præſtat , quàm

quàm paucis multum. 196
Decimam consecrauit Herculi M.Crassus. 184
Declaratione de Bono Senectutis. 212. & seqq.
Declaratio, & quies quæruntur propter operationem. 236
Deliberare maturius de re danda, est impulsus ad tenacitatem. 181
Delicta adolescentiæ minus puniendа. 84
Delicta inexpertorum leuius plectenda. 90
Democritus diu vixit. 75
Denarium. *vide*. Pecunia.
Denario quasi fideiussore vtimur. 166
Dentes cuidam aliquoties decidisse, alijs continuò subnascentibus. 16
Descriptio floridæ Senectutis. 5
Desiderijs qui ponit modum, potest cum Ioue de felicitate contendere. 111
Deuotionis cē intrinseca. 286
Deuotionem procliuiorem esse in sene. 286
Dei timor in Senibus. 289
Deum senis figuram assumpsisse. 301
Deum non esse auctorem malorum culpę. 239
Diacatholicō pharmacum. 296
Diadema dolore capitis non liberat. 39
Dictum. *vide*. Apophthegma.
Dignitas cum auctoritate, est radix Senilis Boni. 114
Diogenis exemplum cōtemnendis diuitias. 190
Disciplinis moralibus non esse aptos iuuenes. 86
Distributio opum respondens reddditibus remedium auaritiæ. 195
Diuitem cito neminem bonum fieri. 178
Diuitias habere, non est illicitum. 181
Diu vixisse, & diu fuisse differunt. 7
Domicilium virtutum & exemplar Senectus esse debet. 118

E

EBRIETAS damnatur, quod concupiscentias excitat. 143
Ebrietatis vitio senes non magis quam alij laborant. 143
Ecclesia multas habet preces, pro tribulatis. 233
Ecclesiastici status finis. 145
Ecclesiastici quomodo excusent suam auaritiam. 159
Ecclesiasticis monumenta comparanda ex virtute. 149
Ecclesiasticis quomodo conueniat studium posteritatis 149
Ecclesiasticos fructus male conuertentes, auaritia, & fraude detinentur. 186
Educatio liberorum, magni æstimanda est. 247
Educatio. Sancti Patres quid scripserint de educatione infantiæ. 253
Educationis adolescentū sancti

Hic.

INDEX

Hieronymi sententia. 249
Ἐφήμερα animalia. 26
Eleazari senis exemplum. 232
Electio ex consilio prodit 120
Elephantorum agmẽ ducit, qui natu est maximus. 327
Epaminondas contempsit diuitias. 190
Epicureorũ secta exploditur. 51
Errata leuiora retardant, nõ impediũt salutem æternam. 127
Error Senecæ de morte. 104
Errores Gentilium de Senectute loquentium. vnde. 53
ἰσχατογήρως quis dicatur 16
Ethnici dictum: Noli mihi compati quod sim senex. &c. 86
εὐγηρία bona senectus dicitur. 219
εὔδρομος, cur dictus sit Valerius Petronianus. 136
Eutrapelia à Theologis probata. 236
Excusationes; quibus Ecclesiastici, & sæculares suam auaritiã defendunt. 159
Exemplar, & domicilium virtutum, debet esse Senectus. 118
Exemplum à Duce inexperto: & alia exempla. 92
Exemplum Archiepiscopi Cyrilli contra nimium affectum propinquorum. 147
Exemplum auari arcam vomantis suam concubinam. 171
Exemplum de memoria mortis. 110
Exemplũ insignis pictoris. 333
Exẽplũ Marci Crassi. 172. & 184
Exemplum medicorum, & philosophorum, de morbo quasi insanabili. 262
Exemplum senum improborum contra Susannam. 89
Exemplum Valerij Petroniani adolescentis qui εὔδρομος dictus est. 136
Exemplo suo senes docent, omnia momentanea esse contemnenda. 96
Exempla Bonæ Senectutis sunt Abraham, Gedeon, Dauid. 218
Exempla ex Acliano, & alijs aduersus vitia Senectutis. 37
Exempla multorum contemnẽtium diuitias. 190
Exempla floridæ Senectutis. 4
Exempla longissimarum ætatum. 78
Exempla multorũ, quorum proba senectus ab adolescentia inchoauit. 256
Exempla protrahentium longam ætatem. 21
Exempla Senectutis morum. 6
Exempla senum vitiosorum. 74
Exempla Principum senum, qui Imperij regimen alijs commiserunt. 201
Exempla trium puerorum, & Danielis. 79
Exempla viridis senectutis. 78
Exemplorum congeries, quòd bonis mala accidant. 237
exemplis probatur, quod finis omnibus est dulcis. 112
Experientia ad res mundi contemnendas. 96

commendas mirifica. 95
Experientia conflatur ex multis memorijs. 89
Experientia docet, pecunijs omnia cedere. 166
Experiẽtia radix senilis boni. 89
Experientia senes in conscientia instruit. 299
Experientia habet similitudinem cum arte. 89
Experientia in rerum naturaliũ cognitione quàm salubris. 53
Experientia peperit Rhetoricam. 93
Experientia quàm profitua ad omnes vitæ vsus. 91
Experientia sola distinguit milites veteranos à tyronibus. 93
Experientiæ encomia. 93
Experiẽtię primas concedit scientia in rebus politicis. 91
Experimenta multa efficiunt scientiam. 89
Exuuiæ serpentum senectutis nomine comprehenduntur. 9

F

FABVLA Prothei. 175
Faliscorum quidam puer Traianitis nomine canus in septimo anno. 4
Fallaciæ, & insidiæ aduersus Senectutem excogitant quotidie. 139
Feudum omne antiquum posse nobile appellari. 314
Ficini Marsilij pharmacum pro Senectute. 20
Finis Ecclesiastici status. 146
Finis naturę est, vt res conseruetur in suo statu. 146
Finis omnibus laborantibus est dulcis. 112
Finis vitę vltimi delectabilis habet rationem. 278
Finis vltimus Deus est. 331
Finem cum officio Stoici cõfundunt. 55
Finem præcipuè spectandum in omnibus, & totum actum denominari ab eo. 163
Flagitia oriuntur ex ignorantia, infirmitate, & malitia. 120
Flagitia. *vide*. Peccata. *vide*. Mala.
Flauium Cinthiam Regem senioribus Palatij sui supplicẽ se commendasse. 8
Fœlicitas Gentilium vbi sita. 58
Fœlicitas vera, in quo consistat. 208
Fœlicitatis quandam similitudinem habet pecunia. 156
Fœminas quasdam appellari presbiteras. 8
Fomes, & concupiscentia post baptismum, relicta est ad agonem. 230
Formicarum agmen ducit natu maximus. 317
Fortitudo. *vide*. Animus.
Fortitudinis eotem appellari [illegible]am. 131
Fortitudinis duo sunt actus, aggredi, & sustinere. 152
Fortuita fortiter patiamur, & naturæ consentiamus. 47
Fraudes plures auaritiæ. 174
Fructus ad fructum, sicut finis ad [illegible]

ad finem ordinatur. 278
Fructus dici operationes maturę ętatis, quatenus extremũ vitæ attingunt. 278
Fructus dupliciter considerari. 278
Fructus Ecclesiasticos in bona sæcularia conuertentes auaritia & fraude detinentur. 187
Fructus ex philosophorum sentia, quomodo capitur. 279
Fructus proprie qd dicatur. 278
Fructus senectutis triplices; erga Deum, proximum, & erga seipsum. 283
Fructus varij senectutis. 277
Fructus virtutum, cur tantum maturitati tribuamus. 291
Fructus virtutum, in primis à Dei gratia proficisci. 291
Fructus vocabulum non pertinere ad omne bonum. 278
Fructum maxime ostendũt res. cum ad maturitatem perueniunt. 282
Fullonius Bononiensis ciuis ad 150 annos peruenit. 14
Furtum faciens animo męchandi, mœchus potius, quèm fur est. 163

G

GADIBVS Senectuti templum dicatum fuisse. 310
Galenus innuit triplicem gradũ senectutis. 14
Gallorum consuetudine Senior idem est, quod Princeps. 315
Gandaridum è gente quidam filium habebat nonagenarium. 15
Gangaridum gentis quidam in India natus annos 335. 15
Gaudium, & tristitia, non sunt virtutes, neque vitia. 140
Gentiles quæsierunt, cur bonis mala acciderent. 238
Gentiles non satis liberasse senectutem à calumniis. 58
Gentiles quo sensu Bonum sumant. 22
Gentiles detestati sunt Senectutem, tanquam laborum impatientem. 31
Gentiles alij Senectutem esse bonam, alij malam declamando contenderunt. 21
Gentiles arguuntur, dicentes Senectam esse malam, quòd mortis esset nuncia. 107
Gentilium de Senectutis conditione uarię sententiæ. 20
Gentilium opiniones uariæ de Senectute. 23. & seqq.
Gentilium dicta de Senectute non inutilia fuisse. 58
Gentilium fęlicitas ubi sita. 58
Γέρων ἄπορος. 32
Γέρων ἐραστὴς. 32
Γέροντας, dictos fuisse senes. 8
Γερουσίαν, Lacedæmniorum senum consilium dici. 8
Γήρας, quam ætatẽ significet. 4
Γῆρας ὀφεις ἐκδύουσι. 9
Γήρια πάππων. 4
Γήρια, flores carduorum dicti. 4
Γηροκομική, quæ pars medicinæ

fit. pag. 42
Gradus ad adipiſcendum Senectutis Bonum. 241
Gratiam Diuinam implorare, eſt remedium primum aduerſus auaritiam. 189
Grauitas eſt perpetua ſocia ætatis Senilis. 117
Grauitati annorum reſpondere debet grauitas actionum. 117
S. Gregor. Papa morbo laborans in lecto pulchra, volumina dictauit. 75
S. Gregor. Nazianzen. amplius 90. anni vixit, & infirmitate preſſus ſcribendis verſibus animum adiecit. 75
S. Gregor. Nazianz. ex morbo maiorem ſe hauſiſſe ſpiritum teſtatur. 75
S. Gregor. Nazianz. carmina de morte propinqua. 114
S. Gregor. Nazianz. oblectamentis labores relaxare ſolebat. pag. 236
Gymnica certamina, ſunt corporum, at Senectutis certamen eſt animorum 315

H

HAERESIBVS viam aperiri ex moribus corruptis, pag. 253
Halicarnaſus *vide* Adarchias.
Hebræorum patribus Sanctis Deus longam vitam beneficij loco tribuit. 318
Herculis robur. 262
Heſiodum irridet Ariſtoteles, de ambroſia, & nectare. 64
Hiberni in quadam inſula diuiuunt. 17
S. Hieronymi ſententia de adoleſcentia. 85
S. Hieronymi deſcriptio floridæ Senectutis.
Hiſpanis nomen Señor vnde ſit translatum. 315
Homo cur non ſequitur naturam ſuam, vt creata cætera. 51
Hominem ſimillimum eſſe vino dixit ille Græcus 264
Homo poſitus eſt in vitæ ſtadio ad laborandum. 268
Homo ad imaginem Dei procreatus. 75
Homo paulo minus ab Angelo diminutus. 61
Homo eſt animal ſociabile. 291
Homo vt alterum iuuet, tria requiruntur; ſcire, poſſe, & velle. 291
Homo naturali eſca vtens, nō poterat vitam perpetuo producere. 63
Homo duplex; interior, & exterior. 295
Homo ſemper aliquibus cibis indiguit. 63
Homo cur præcipue in hanc lucem ſuſceptus ſit. 83
Homo ex duabus partibus conſtat. 105
Homo habet appetitum intimū acquirendi ſuam perfectionem. 331
Hominis veteris, & noui nomine totum genus humanum appellari. 328

Ho-

INDEX

Hominis causa, creata omnia erant. 27
Homini aliud competit ex natura speciei, aliud indiuidui. pag. 266
Hominem aliqui mancipium miseriatum appellant. 57
Hominem scelerum luendorum causa non esse natum. 57
Hominem natura sua non omnino incorruptibilem creatum fuisse. 62
Hominem sibi imperare, quàm mille alijs, est præstātius. 283
Hominem extraordinario iustitiæ originalis fuisse munitū priuilegio. 63
Hominem nouum pro ignobili Cicero appellat. 315
Homines non satiari bonis quibuscunque terrenis. 202
Homines non æquè eisdē rebus delectantur, vt cętera animātia. 235
Homines tenentur ad naturæ, & diuinæ legis præcepta. 266
Homines pro statuum ratione moribus differre. 84
Honor Senectutis comprobatur ex sacris literis. 301
Honor Senum secundum legem Dei. 303
Honor senectutis apud Sanctos. pag. 308
Honor senectuti tributus apud omnes ferè populos. 309
Honor senibus omnibus exhibendus. 311
Horatius scripsit se precanum fuisse. 4
Humilitas Christiana refugit quædam solita Senibus ex liberi Romæ, & alibi. 223
Hyppocrates describit Senem marcescentem. 17

I

IANVAE cęli non erant sub veteris lege apertę. 219
Idolatriæ genus est, ad infima ista se conuertere. 208
Idolorum seruitus est auaritia. pag. 159
Ieiunia Senes facilius, quā alios ferre. 138
Iesuitarum cura in adolescentia instituenda. 255
Iethro socerum suum quomodo honorauit Moyses. 305
Ignorantia, infirmitas, & malitia sunt origo vitiorum. 119
Illiberalitas est quoddam spiritualis chyragræ genus. 194
Illiberalitas. *vide* Auaritia.
Imago quædam æternitatis est senectus. 318
Imagini Sileni comparatur vita Christi, & Christianorum. pag. 124
Imagines fumosæ olim honorabiles. 315
Imagines Sileni exterius deformes, interius elegantes, similes Senectuti. 123
Immortalitatis desiderium omnibus naturaliter inesse. 208
Imperitia minor in senectute, quàm in alijs ætatibus. 119
Impulsus ad tenacitatem, vt maturius

turius de re danda deliberet. pag. 181
Inclinatio naturalis est determinata ad vnum. 234
Incomoda. *vide*. Senectus.
India. *vide*. Gangaridum.
Inertia. *vide*. Senectus.
Infirmitas. *vide*. Languor.
Infirmitas, casus, senectus; tres nuncij mortis. 128
Infirmitatem animi, & perturbationes sensuum minores in sene. 119
Initiũ omnis peccati est amor sui inordinatus. 164
Initium Senectutis, quoad speciem humanam vsque ad 50 siue 56 annos protrahi. 12
Initio auaritiæ obsistere est præstantissimum remedium. 192
Innocentius Papa Tertius librũ conscripsit de huius vitæ miserijs. 29
Insatiabilitas est causa omnis tristitiæ. 44
Insidiæ Dæmonis ad fouendam in senibus auaritiam. 174
Instinctus naturales inesse creaturis conuertendi se ad suas causas. 330
Intellectu præter cęteros excelluint senes. 103
Ioannes de Temporibus armiger Caroli Magni natus erat annos 361. 15
Ioannes Lusitaniæ Rex Tertius quando regnauit. 15
Iob quia moribus senex, auctoritatem secum ducebat. 117
Iracundia non omnis damnatur, sed iniusta. 131
Iracundos nõ esse senes, qui prudentia vti norunt. 132
Iræ calore factum, mitius puniendum esse. 130
Iram Deo attribui in sacris literis, 131
Iram fortitudinis cotem appellari. 131
Iram proprie loquendo non esse peccatum. 131
Iras senum acres, & acutas, sed infirmas esse. 130. & 133
Irascendi motus datur ad vitiosa repellenda. 132
Isocratis ætas. 75
Isocratis sentẽtia de educatione liberorum. 253
Italis nomen SIGNORE vnde ortum. 315
Iuniores subesse oportet; seniores imperare. 317
Iurisconsultus quomodo considerabit Senectutem. 1
Iustitiæ originalis priuilegio hominem fuisse munitum. 63
Iuuenes non esse aptos ad morales disciplinas. 86
Iuuenes præsentibus senibus in cœna parco sermone vti. 253
Iuuentutem non omnino culpari. 79

L

LAc senum esse vinum. *proverbium*. 142
Lacedæmonij præter cæteros, senibus honorem habebant. 33

La-

INDEX

Lacedemonij quantum tribuāt Senectuti. 311
Lacedæmonij, Senatores, & Magistratus nolebant esse perpetuos. 33
Lachrymæ non damnantur. 62
Languor, & Senectus in homine vnde sit. 61
Languorem, & infirmitates ad virtutem sæpe conferre. 228
Largiri alijs in vita est laudabilius, quàm in morte. 182
Liberi arbitrii bonus vsus, est actus virtutis. 284
Liberi arbitrii vsus bonus consistit in modo, specie, & ordine. 285
Liberalitas in modo dandi cōsistit. 167
Libertas loquendi ineſt ſeni. 292
Librorum malorum lectione sub uerti iuuentutem. 254
Librorum conscribendorum vtilitas. 294
Libris conscribendis aptiores sunt senes. 294
Lignum vitæ, & lignum scientiæ boni & mali in Paradiso, quid. 198
Limbus Patrum. 220

M

MACHARIVS Alexandrinus Abbas, παιδαριογέρων fuit vocatus ob profectum virtutum. 6
Magistratus nolebant Lacedæmonii esse perpetuos. 33
Magistratus ab his bene geri, qui à pueritia bene educati fuerunt. 252
Maledicta aduersus Senectutem Cicero ad quatuor causas redegit. 49
Malitia cur deberet esse minor in sene. 121
Malum dicitur, quod est præter ordinem suæ formæ. 68
Malum dici, quod nulla ratione desideratur. 21
Malum, seu pecatum dicitur, quod est præter rationem. 68
Malum id tantum dicitur, quod à ratione abhoret. 150
Malum. *Vide.* Defectus.
Malum ex quocunque defectu contrahitur. 134
Mala corporis Senectutem vexantia. 34
Mala ab originali culpa esse propagata. 83
Mala extrinsecus Senes perturbantia. 36
Mala Senectuti obiecta quædam sunt penæ, quędam culpę. 125
Mala bene tolerata, laudem senectuti augent. 150
Mancipium miseriarum quidā hominem appellarunt. 58
Mancipia rudia dociliora esse. pag. 249
Mancipia veterana difficile reformari. 248
B. Mariæ matris Dei virtus. pag. 257
Martyrium non facit pœna, sed causa. 231

Ma-

INDEX

Maturitas senilis ætatis propria est. 231
Maturitas senectutis concupiscentias depellit. 196
Maturitas ætatis suo iure auctoritatem postulat. 249
Maturitas annorum verum bonum sibi peculiariter vindicat. 240
Media fælicitatis philosophorū à nostris late dissidere. 59
Medicamenta topica quomodo adhibenda. 40
Medicinæ ars quod ignorat, sanare minime potest. 176
Medicus quomodo metieturse senectutem. 1
Medici, & Philosophi de qua Senectute loquantur. 70
Medicorum non est, Senectutem à perturbationibus animi liberare. 42
Meditatio mortis radix senilis Boni. 106
Meditationem mortis magnam esse philosophiam. 107
Memoria res maxime fragilis, in quàm primùm incurrit senectus. 222
Memoriæ mortis exemplum. 111
Memoriam Senecæ vsque in miraculum processisse. 222
Mentis oculus quando cernit acutius. 86
Mentis aciem, & prudentiam vigere maxime in Senibus. pag. 259
Meriti ominis radix vbi consistit. 129
Meritum actus exterioris esse ab interiori. 129
Merita plura requiri in Senectute, quàm alijs ætatibus. 272
Milites veteranos à tyronibus distingui sola experientia. 93
Ministerium suum non exequēs, Reipublicæ nocet, & peccat. pag. 268
Miseriam huius vitæ Christiani auctores vbique inculcant. 29
Miseriæ, & ærumnæ, cur sint nobis constituræ. 235
Miserias non desinere in termino huius vitæ. 108
Monumenta posteritatis ex virtute comparanda. 149
Morbi corporis quò grauiores sunt, eò magis sentiuntur; animi contra. 203
Mortis tres sunt nuntij; casus, infirmitas, senectus. 128
Munia in quouis statu sunt quædam propria. 265
Moyses annorum cxx. 5

N

NATVRA nihil inane effere. 24
Natura uihil initio absolutum vndequaque produxit. 328
Natura hominis propensior ad retinendum, quàm ad dandum. 161
Naturæ operas esse ineuitabilia. pag. 16
Naturæ consentiendum, & fortuita fortiter toleranda. 48
Naturam sua cur homo non sequatur, vt cætera creata. 62

Na-

INDEX

Naturam communem, mores paucorum non immutare. 87
Naturalia propterea esse quædã non desinunt, quòd aliqui ijs careant. 85
Necta. *vide*. Ambrosia.
Neminem bonum cito diuitem fieri. 172
Nestor τριγέρων vocatus. 14
Nobilitatem, & alia ornamenta ex antiquitate oriri. 314
Nouum non statim vituperabile aut vetus laudabile. 79
Nouum hominem pro ignobili Cicero appellat. 315
Noxa. *vide*. Culpa.
Noxa primi parentis multa mala intulit. 67

O

OBiectiones plurimæ cõtra Senectutem. 126. & seq.
Obseruatio trium temporũ, ad Senectutis Bonum continendum. 241
Officiorum tria genera, quæ perfectum hominem faciunt. 283
Olympica certamina. 244
Opera Dei sunt duplicia; naturæ, & gratiæ. 146
Operationes maturæ ætatis, fructus dici. 141
Opiniones Gentilium de Senectute. 1.9. & seq.
Opiniones duæ in diiudicandis vitæ calamitatibus. 229
Opiniones differentes, de sensu Bonæ Senectutis. 233
Oratio in actu rationis consistit. pag. 285
Otiosi etiam verbi rationem esse reddendam. 270
Otium omne abhorret à Christianis præceptis. 276
Otium opportune susceptũ laude sua non carere. 234

P

Παραπλασικὸν, quale sit tempus. 12
SS. Patres detestati sunt affectũ nimium propinquorum. 198
SS. Patres quid scripserint, de educatione infantiæ. 253
Patribus Sanctis veteris legis bona temporalia promittebantur. 220
Paupertas in Senectute est grauissima. 32
Peccata in Sene facilius vitari. pag. 120
Peccata. *vide*. Culpa. Flagitium. Malum.
Pecunia habet quandam similitudinem fœlicitatis. 166
Pecuniæ pretium est solum in vsu. 166
Pecunias licet conseruare. 180
Perfectio Christiana consistit in his duobus: *Diuerte à malo, & fac bonum*. 118
Perfectum debet esse constans, nec cito transiens. 134
Peritis in arte credendum esse. 95
Personis duabus quasi à natura nos indutos esse. 270
Perturbationes in adolescentia. pag. 84

Per-

Perturbationes in media ætate. pag. 87
Perturbationes sensuum minores esse in sene. 120
Pharisei quomodo honorabant maiores natu. 310
Philippus lætatus, Alexandri filij præceptorem fuisse Aristotelem. 252
Philippus Regis dictū de Atheniensium maledictis. 139
Philosophus professus se nosse modum nunquam senescendi, deridetur. 16
Philosophus quo pacto considereret senectutem. 1
Philosophi, & medici de qua Senectute loquantur. 71
Philosophorum remedia ad senilcs miserias subleuandas. 43
Philosophorum præcepta de media ætate non sufficere Christiano. 264
φιλαργυρία nomē auaritiæ. 156
Pietas Christiana omnes æque complectitur. 70
Planta dicta πρεσβύτερον, & senecio. 4
Planta dicta πώλιον à canicie. pag. 4
Plantam quandam ἀγήρατον vocari. 5
Plantas nonnullas etiam animo afferre vtilitatem. 41
Plato produxit senectam vsque ad lxxxi. annum sine vllade ductione. 18
Platonis æras. 75
Πλεονεξία auaritię nomen. 156
Plinij dictum de iuuenibus. 8
Poetæ cuiusdam Græci dictum de Senectute. 8
Πώλιον, planta appellata. 4
Politici vulgo dicti redarguuntur 58
Pontifici maximo in anniuersario suæ assumptioni is dicitur, *Ad multos annos*. 318
Posteritas *vide*. Studium, Monumentum.
Practica ratio in quo consistit. pag 97
Præcani quidam dicuntur. 4
Præcepta status senilis quibuscunque perspecta esse debere. 267
Præmii spe concitamur ad vitæ molestias ferendas. 31
Πρεσβεῖον, quā ætatem indicat. pag. 3
Preces. *vide*. Ecclesia.
Presbyteri propter sapientiam nominantur. 7
Presbyteras fœminas, quasdam appellari. 7
Principium in vnaquaque re maximum quid esse. 249
Principii corruptio est pessima. pag. 165
Priuilegia Senectutis apud Iurisconsultos, & alios. 320
Prodigalitas est in abusu bonorum per excessum. 158
Progressus Senectutis vsque ad 70. aut 80. annos quomodo intelligatur in psalm. 13
Progressus senii duplex. 13
Propinqui. *vide*. Affectus.
Proportio nulla inter æternum,

& tempore circumscriptum. pag. 318
Protheus. *vide*. Fabula.

Prouerbia, & alia vulgaria dicta.

Auaritia est senibus naturalis. pag. 154
Bis pueri senes. 7
Consilium non esse præcipitandum. 181
Difficile est dare verba seni. 96
Dulce bellum inexpertis. 90
ἐνσπάρτῃ μόνῃ λυσυτελεῖ γυράσκειν. 312
Experientia rerum magistra. 90
Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος. 90
Miserrimum est seni, se esse odiosum alteri. 180
Necquicquam eum sapere, qui sibi prodesse nescit. 295
Optima vina habent fæces. 28
Praua sunt arma foris, nisi sit cōsilium domi. 100
Rem actam rursus agere. 320
Senex indigens, res calamitosissima. 32
Senectus insanabilis morbus existit. 35
Senectus mala est ætas. 33
Senex est, & non est. 34
Sexagenarios de ponte deijciendos. 33
Συγγνόμη πρωτομείρω. 90
Vita viri in adolescentia. 84
Vinum, lac esse Senum. 142
Vsque ad guttur in cœno demergi. 160

P

Prudentia Christiana differt à politica. 98
Prudentia cur potius senii, quā aliarum sit ætatum. 102
Prudentia duplex est virtus, singularis, & generalis. 128
Prudentia est recta ratio rerum agendarum. 97
Prudentia necessaria in rebus priuatis. 101
Prudentia necessaria maxime in rebus publicis. 99
Prudentia oculus corporis, atq; lucerna dicitur. 101
Prudentia perfectos recte vocari Senes. 102
Prudentia virtutes non vacare. pag. 101
Prudentiæ encomium. 98
Prudentiæ laudem in senectute maximè vigere. 105
Prudentiæ partes omnes in senectute maxime reperiri. 105
Prudentiæ tres actus. 102
Pythagoras longæuus fuit. 75

Q

Querimoniam, & tristitiam coniunctam esse senectuti obijcitur. 139
Quies & delectatio quæruntur propter operationem. 236
Quintiliani documentum de tenera ætate formanda. 249

R

Rabbinorum interpretum fit mentio. 218
Radices multæ senilis Boni. 81. & seqq.

Ra-

Ratiocinandi actus ad Senes spectat maxime. 104
Ratio in Senectute obtinet principatum. 225
Rationis bonum, hominis proprium esse. 298
Rationis reddendæ post mortē cognitio quantum proficiat. pag. 108
Rationem reddēt Christiani deo de vsu rerum suarum. pagina. 190
Rationes de Bono Senectutis ad cunctos homines conscribentur. 257
Reggitores, ac Seniores appellari, qui familiam gubernant. pag. 315
Regnum cælorum non ita clarè memorari in veteri lege nota runt sacri Doctores. 220
Regula Sapientum æstimat senilem animum ex actionibus. 6
Regulam certam Senili statui non posse constitui. 70. & 78
Religio est prima inter virtutes morales. 285
Religionem in Senili ætate facilius obtineri. 285
Remedia ad Senilem auaritiam curandam. 188. & seqq.
Res vnaquæque eò est validior, quò propriùs accedit ad sua primordia. 331
Res magnæ geruntur non viribus, sed consilio. 233
Res naturales ad perfectionē cō sequendam; duo requiruntur; tēpus, & auxilium. 332
Rerum præstantia ex operis ipsius propria vi, non ex rebus extrinsecis regulariter consideratur. 228
Respublica. *vide.* Senatores.
Robeam Regni partem amisit, quod à Seniorum consilio discessisset. 306
Romani olim maiores natu, ad Deorum propè, & parentum vicem colebant. 312
Romani penè eundem honorē Senibus, quem Magistratibus tribuebant. 314
Romanorū mos, in conuiuiis ad tibias canere egregia facta maiorum. 253

S

SAlomon Senex à mulieribus fuit deprauatus. 89
Salomonis in templo quæ arbores effictæ erant. 279
Sanitas in Sene duplex: corporis, & animi. 237
Sanitas Senis quænam appelletur. 237
Sapientia. *vide.* Prudentia. *vide.* AEtas.
Sapientiæ ætas condimentum est. 105
Saul rogauit honorari apud Senes. 305
Schema honorabile Senectutis quomodo dissipetur. 273
Scientia cæteris paribus est maior in Sene. 292
Scientia duplex: speculatiua, & practica. 89
Scientia ex multis experimentis effi-

efficitur. 89
cientia in rebus politicis experientia primas concedit. 91
vide. Experientia.
cientia speculatiua multis indiget adiumentis. 89
scopus vitæ Christianæ. 239
eculum à senio dici, quasi centum annos complectens. 15
eminaria cur instituta. 254
enatores Lacedæmonij nolebant esse perpetuos. 33
enatores ob ætatem dici. 8
enatores Reſpublicæ Patres appellari. 8
ena tum Romanum à Senibus vocatum. 8
enecæ error de morte. 110
enecæ liber de prouidentia. 238
enecæ impia ſententia, de morte ſibi inferenda. 239
enecæ variæ ſententiæ afferuntur de vita humana. 45
enecio planta dicta. 4
enectam, & ſenium diſtingui. 2
enectam vulgares homines ab exterioribus ſignis æſtimant. 4
Senectus debet acriores ſtimulos addere ad laborandum. pag. 269
Senectus præ cæteris ad præclara exercenda eminet. 276
Senectus à nullis virtutibus conſequendis excluditur. 280
Senectus non eſt vitæ fæx. 282
Senectus perfectio vocatur. 282
Senectus admonet conſcium ſcelerum ſuorum veniam à Deo expoſcere. 299
Senectus. *vide.* Abraham, & Opinio.
Senectus bona quomodo reddit in Sacris Biblijs Græcis. 217
Senectus eſt veluti imago quędã æternitatis. 318
Senectus Chriſtiana in quo præcellit. 220
Senectus non eſt beata dicenda. pag. 292
Senectus bona à Græcis dicitur εὐγηρία. 214
Senectus cõparatur arbori, quoad radices, & fructus. 81
Senectus animi tranquilitate cęteras ætates ſuperat. 88
Senectus ad frigidum, & ſiccum tendit. 88
Senectus vita animæ appellata. pag. 105
Senectus debet eſſe virtutum domicilium, & exemplar. 118
Senectus præſtat aliis ætatibus ad virtutes comparandas, & exercendas. 123
Senectus ab auctoribus varie ſumpta. 1
Senectus uocatur extremus vitæ actus. 2
Senectus proprie quid. 2
Senectus apud medicos ętatẽ corporis ingraueſcẽtis oſtẽdit. 8
Senectus cruda, & uiridis. 15
Senectus ὠμογεροντων. 15
Senectus nullo modo auferri poteſt, aut impediri. 17
Senectus & languor in homine unde ſit. 61
Senectus paucioribus implicata

est culpis, quã aliæ ætates. 80
Senectutis confectæ descriptio. pag. 284
Senectutis præsidiũ omnes perturbationes, solicitudinesque restringit. 296
Senectutis laudes, ex uarijs auctoribus. 301
Senectutis dignitas colligitur ex Testamento nouo. 308
Senectutis incommoda recitantur. 328
Senectutis floridæ exempla. 5
Senectutis nomen translatè sumptum. 5.6.7.8.
Senectutis morum exempla. 6
Senectutis initium .. 10
Senectutis progressus usque ad 70. annos, aut 80. quomodo intelligatur in psalm. 13
Senectutis triplicem gradum innuit Galenus. 15
Senectutis calamitates non sunt mala culpæ. 129
Senectutis bonæ uerbum nusquã in noua lege reperiri. 219
Senectutis bonæ nomen aliter apud Gẽtiles, aliter in legevetteri, aliter in noua sumi. 219
Senectuti templum dicatũ fuisse apud Gades. 310
Senectutis mala, quædam pœnæ, quædam culpæ. 125
Senectutem laudari, quæ inertiam, atque otium odit. 232
Senectutem tanquam sacerdotium inquinari ex prauis moribus. 332
Senectutem adolescentiæ fundamentis multum inniti. 248
Senectutem bonam aiunt quidã continere tria. 217
Senectutem Cicero occasum vitæ vocat. 2
Senectutem veteres ætatem malam dixerunt. 10
Senectutem habere tristitiam, sed bonam propter peccata. pag. 139
Senex stimulari debet ad omnia sapienter obeunda. 233
Senex quomodo Rex dici potest. pag. 272
Senex nihil habet amplius in hac uita quod ambiat, aut speret. 292
Senex quotidie mala uidet exurgere. 298
Senex facile patientia munitur. 298
Senex cœlestia meditans, quædam beatitudinis præludia gustat. 300
Senex retinet memoria omnes res, quas in aliis ætatibus gessit. 319
Seni cauenda desidia. 274
Senem haberi propensum ad auaritiam, non est iniuria. pagina. 202
Senem tanquam publicum oraculum habendum. 293
Senem semper dici esse in periculo mortis. 123
Senem nos intelligimus nõ omnem, sed qui nouit uitia præcauere, & superare. 121
Senes cum ætate sapientia crescunt.

scunt. 271
Senes quid considerare oportet 287
Senes in Israel erant veluti proceres, & ciuitatum Principes. 305
Senes ad consilia adhibitos, & ad regendum populos. 309
Senes exemplo suo docent. 96
Senes præter cæteros excellunt intellectu. 103
Senes à vitiorum conflictu remotiores esse. 120
Senes bis pueri. 6
Senes solere minus quàm iuuenes, ægrotare. 138
Senes facilius, quàm alios ieiunia ferre. 138
Senes, etsi detur esse ad vinum procliuiores, tamen id non esse vitiosum. 143
Senes auaros in collecta pecunia se oblectare. 164
Senibus primas delatas fuisse in rebus grauioribus. 305
Senibus a Deo plus tribui. 306
Senior frater primas semper refert in familia veluti Princeps. 314
Seniores ob experientiam optimè Ciuitati consulere. 311
Seniores ob auctoritatem in populo dici. 8
Seniores in sacris literis quanto in honore habeantur. 306
Seniores vigintiquatuor proximi Deo sedent, cum reliqui stent. 302
Senium varie considerari. 243
Senium ab ipso ortu statim alia qui inchoarunt. 15
Senij quidam defectus enumerantur. 202
Senilis ætas quomodo se ad externa bona transtulerit. 208
Senilem ætatem mediæ præferendam esse. 223
Sententiæ variæ Gentilium de senectutis conditione. 21
Signa varia ad detegendum auaritiæ vitium. *vide*. Auaritia.
Silenus dixit optimum non nasci, proximum cito mori. 24

Similitudines ducta.

A cane integrè frustra vorando 170
A creditoribus. 234
A diuersitate medicinam. 52
A falso cultu. 205
A febricitante. 85
A fidibus musicorum. 115
A flantibus austris. 136
A fluuio deriuato à fonte. 94
A fractu collecto ab inimicis. 139
A fundamento ædificij. 260
A gradibus ascendendi montem. 241
A gubernatore nauis clauum tenente. 238
A laudante cibum, non auctorem cibi. 56

A lumine, quod est necessarium ad uidendum. 93
A materia bene disposita. 244
A medicina salubri perspecta ab ægro. 171
A medico causas morborum perseruante. 53
A medico diuertente mala. 193
A medicis blandis, & non uiolentis auxiliis utentibus. 194
A medicis explorantibus symptomata. 192
A membris corporis. 258
A multiplicitate epulatum. 255
A nauis in medijs fluctibus. pag. 224
A naui rimas habente. 129
A nauigante. 7
A plantis paulatim crescentibus. 244
A præfecto arcis longe repellente hostes. 193
A riuulis deflexis. 194
A schemmate Regio. 272
A sententijs iudicum. 52
A sole stellarum duce. 224
A solerti agricola. 124
A spica in frugibus. 257
A stellis sine sole non lucentibus. 101
A teuera planta. 256
A transilientibus fossam. 244
A uarietate membrorum corporis. 121
A ui naturę. 42
A uino habente fæces. 28
A uino nouo. 265
Ab agro qui cultu indiget. 240
Ab amaro pharmaco. 236
Ab arboris cultura. 241
Ab aulico aperiente aditum ad Regem. 102
Ab extrema potione. 159
Ab Imperatore delectato in recensendis copiis. 171
Ab imperatore uexilla collocante in sublimi. 283
Ab instinctu naturali rerum. pag. 330
Ab olympicis certaminibus. pag. 244

SObrietas à Sene nominatim requiritur. 142
Spem omnem repellendę calamitatis præcidit senilis ætas. 35
Spolia serpentum. 9
Status senectutis non fractę, sed lassæ. 14
Statum certum Seni non posse prę[illegible]. 70
Stella differt à stella claritate. pag. 121
Stelliones exuere senectam. 9
Studium posteritatis quomodo conueniat sęcularibus, & Ecclesiasticis. 148
Sultani Indiæ mentio fit. 15

T

TAprobanę eligitur Rex annis grauis. 312
Tabulas obscœnas pueris prohibuit Aristoteles, & Xenophon. 252
Tempus quomodo occupandũ ex Seneca. 27[illegible]

Tem-

INDEX

Temporis honesta est auaritia. pag. 194
Terminum vitæ præteriri non posse. 18
Terra præ cœli amplitudine vix puncti loco æstimatur. 134
Testamenti noui cum veteri cõparatio. 220
Themistoclis 107 anno morituri dictum. 105
Theognis dicebat Senem esse indocilem. 41
Theologus qua ratione metiatur Senectutem. 1
Theophrasti sententia ex Cicerone. 151
Thraces nascentibus liberis lugent, morientibus lætantur. pag. 26
τριγέρων, quis dicatur. 14
Tribulationes esse vtiles. 239
τυμβογέρων Nestor vocatur. 16
Tristitia, & gaudium non sunt virtutes, neque vitia. 140
Tristia Senum est salutaris ex recordatione diuini Iudicij. pag. 141
Tyrones à veteranis militibus distinguit sola experientia. 93

V

VEneratio est fructus maturæ ætatis. 282
Vetus non omne statim laudabile. 79
Vetus. *vide* Nouum. Antiquũ.
Vetustatis nomen frequẽter male sonare. 323
Vetustatis nomen propriè, ac trãslatè accipi. 326
Vita arcta est, quæ ducit ad vitam. 263
Via breuior est ad mala, quàm ad bona, ex naturæ corruptione. 134
Villarum recessibus Cato delectatus. 38
Vir, & virilis. *vide*. Aetas.
Virilis ætas in varias affectiones incurrit. 87
Virtus actiuæ speciei semper debilitatur ex adiectione rei extraneæ. 64
Virtus circa difficilia versatur. pag. 252. & 261
Virtus est uiaticum senectutis. pag. 248
Virtus ex quibus acquiratur. 51
Virtus grati animi erga Deum Seni inest maxime. 288
Virtus in infirmitate perficitur. pag. 69
Virtutis ratio magis consistit in bono, quàm in difficili. 224
Virtutem animi non pendere à sola facultate arbitrij. 59
Virtutes Theologicæ in senectute ardentiores. 284
Virtutum quæ ad Senem pertinet congeries. 294
Vita animæ senectus appellata. pag. 105
Vita hominis in quib. cõstet. 10
Vita non est breuis, sit tota bene collocetur. 134
Vita optima, non quæ longissima, sed quæ fructuosissima. pag. 44
Vita optima quæ sit, & qu[illegible]

uissima. 300
Vita tota ob breuitatem, est tanquam punctum præ æternitate. 134
Vita uere beata in quibus consistat. 59
Vitę extremus actus uocatur senectus. 2
Vitium capitale est auaritia. pag. 158
Vitia in animis Senum recitantur. 33
Vitiorum senectutis enumeratio. 136
Vlpianus. *vide*. Mancipia.
Vocatione sua vniusquisque ambulet. 269
Vrbs. *vide*. Antiquitas.
Vsus bonus liberi arbitrij consistit in modo, specie, & ordine. 280

X

XEnocrates fuit longęuus. pag. 75
Xenophon ait, Licurgum perfecisse senectutem pluris habendam, quàm iuuẽtutis robur. pag. 311

Z

Zosimus Abbas. 14

FINIS.

GABRIELIS PALEOTI

S. R. E. CARDINALIS.

De Bono Senectutis.

PARS PRIMA.

Senectus ab auctoribus varie ſumpta.

DE SENETVTIS BONO dicere aggreſſuri, ab eius nominis vi, ac ſignificatione exordiendum duximus, cum multiplex illius ſenſus, iuxta varios auctorum loquendi modos, deprehendi ſoleat. Nam exempli cauſa, ſi quæratur, quid in Senectute potiſſimum ſit ſpectandum, dubium non eſt, aliter reſponſurum eſſe medicæ facultatis peritum, qui eam iuxta annorum numerorum, ſiue ex temperamenti ratione metietur; aliter iuriſconſultum, qui ad tempus ſucceſſionis, aut ad teſtatoris mē

rem, cogitationem ſuam conuertet: aliter philoſophum, qui animi diſciplinam, prudentiam, vitæque moderationem reſpiciet: aliter theologum, qui immortalis animæ ſtatum, reddendæque rationis vinculum contemplabitur: aliter etiam alios fortaſſe ratiocinaturos.

Nos verò, quibus non omnia ad Senectutem attinentia, ſed quæ tantum propoſito argumento magis accommodata eſſe poſſunt, attingere eſt in animo; exordiemur primum à vi nominis huius explicanda. Inde ab ijs recenſendis, quæ ab auctoribus de ſenectute ipſa tradita inuenimus, antequam nos, quomodo hæc in commentario noſtro accipienda ſint, proferamus. Itaque cum illi de ſenectutis nomine variè diſputarint, nos clarioris explicationis cauſa, ad duos præcipuè ſenſus redegimus, proprium ſcilicet, & tranſlatum ſeu metaphoricum.

Senectus dupliciter proprie, & translate.

AC Proprium quidem videntur ij accepiſſe ex progreſſu annorum, quos quis viuendo peregit, cum ſcilicet ad eam ætatem peruenit, quæ à medicæ rei peritis, atque à cæteris omnibus, communi quodam loquendi vſu, ſenilis ætas appellari ſolet, quæ ſupremum illud annorum ſpatium comprehendit, quod matura iam ætate ineunte, mortis terminum antecedit: ſi qui-

quidem constat vniuersos homines, nullo prorsus excepto; cum primum in hanc lucem prodierint, per certos veluti ætatis gradus, in hoc vitæ stadio cursum suum agere, cum primo infantes, inde pueri, tum adolescentes, postea viri, & deinceps senes effecti, debitum tandem naturæ munus persoluant.

Senectus proprie.

EXACTIS itaque cætetis vitæ superioris gradibus, receptum est nouissimam illam temporis intercapedinem, quæ vsque ad mortem supereſt, Senectutem vocari tanquam extremum humanæ vitæ actum, quam Cicero occasum vitæ vocat[a]. Et quamuis S. Augustinus ex verbis psalmi dicentis. *Vsque in senectam, & senium Deus ne de relinquas me*, tradiderit hæc duo nomina à Græcis distingui[b], atque altero grauitatem indicari, quę post iuuentutem aduenit, & græcè πρεσβυον, altero vltimam ætatem, quæ post grauitatem succedit, quæ γηρας dicitur, ideoque cum apud Latinos hæc distinctio deficiat, ambo hæc nomina posita fuisse, Senectam, & Senium, perinde ac si diceret propheta, vsque in finem vitæ. Attamen cum differentiam hanc non ita ab alijs auctoribus obseruatam inueniamus, nos eam in præsenti omittimus.

[a] *Cicer. in topic.*

[b] *S. Aug. in Ps. 70. conc. 2.*

Sunt enim alij, ac vulgares ferè homines, qui senectutem ab exteriore corporis specie, &

præcipue à canicie, rugis, vultu, seu cutis aridit
te, atque alijs huiusmodi signis æstimare solem
quæ tamen non perpetua, nec vsque adeo cer
sunt, cum multi ætate adhuc florētes, festinam
ac præmaturum gerant caniciem, qui præca
dicuntur, qualem se fuisse Horatius Poeta scri
bit [a]. Et ait Plibnius [b], in Albania gigni quos
à pueritia statim canos; quales etiam in alij
Prouincijs aliquando nascuntur: nobisque a
Vrbem redeuntibus, accidit olim, vt apud Fa
liscos puerulum, sex aut septem annorum
Traianum nomine videremus, vultu succi ple
no, rubicondo, & hilari, sed capite admodum
cano, omnibus, qui illic aderant, admirantibus
Et Arist. scribit [c]. Nonnullis pilos dum ægrota
rent, incanuisse, quibus in bonam valetudinem
restitutis, nigros enatos fuisse canis difluxis. V
de, & planta etiam apud Dioscoridem [d] dict
est ἠριγέρων quod veris tempore senescat, ideo
que Senecio à latinis appellata. Et altera est ἐω
λιον appellata à canicie, quod albicans sit, quam
uis adhuc mollis, & tenera, & candida lanu
gine pubescat. Et quidam, carduorum flores
qui tanquam flocci euanescunt, γήρια dixerunt
Vnde apud Aratum, λευκὴν γήρεον ἀκάνθης, &
apud Nic. Alexandrinum, γήρια πάππον.

Sunt item alij homines, qui prouecta iam, &
occidua ætate, amœnam adhuc faciem, & læ
uem cutem, capilumque nigrum, seu flauum
retinét, qualem fuisse scribit Palladius [f] Abb
tem Or in monte Nitriæ, qui cum esset nona
gin

[a] Horat. lib. 1. epist. 20.
[b] Plin. li. 7. c. 2.
[c] Arist. hist. anim. li. 3. c. 11.
[d] Dioscor. li. 4. c. 99.
[e] Dioscor. lib. 2. cap. 118.
[f] Fin histo. Lausiac.

inta annorum, erat vultu nitido & alacri, nihil
ue amiscerat eorum, quæ ad corporis pulchri
dinem & decorem, vel ad integritatem viriũ
ntinere videntur. Qualem etiam fuisse admi-
bile illud sanctimoniæ, ac perfectionis exem-
lum Antonium Aegyptium monachum, scri-
it in eius vita sanctus Athanasius, qui cum es-
t annorum centumquinque, habebat integros
ntes, & oculos acutè adhuc cernentes. Consi-
ile est, quod de Moyse legitur in Deuteronomio [a], quòd cum esset centum & viginti annorum quando mortuus est non caligauit oculus ius, nec dentes illius moti sunt. Et sanctus Hieronymus [b] ad Paulum Concordiensem scri it miranda quædam ferè, & stupenda de illo, uius iam centenus ætatis circulus voluebatur; it enim. *Oculi puro lumine vigent, pedes imrimũt certa vestigia, auditus penetrabilis, dẽtes ãdidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenũ, ani cum rubore discrepant, vires cum ætate dissentiunt, non memoriæ tenacitatem, vt in plerisq; ernimus, antiquior senecta dissoluit, non calidi cumen ingenij frigidus sanguis obtundit, non contractam rugis faciem arata frons exaspe-at, non denique tremula manus per curuos ceræ ramites errantem stylum ducit.* Estque planta pariter apud Dioscoridem [c] dicta ἀγήρατον, quoniam diutissimè in sua coloris specie conseruetur.

[a] Deut. c. 24.

[b] in epist. 21.

[c] Diosco. lib. 4. c. 61.

Quare cum ex corporis aspectu certum non ssit ætatis humanæ, nec senectæ ferri iudiciũ,

in illiusque ſtatu dijudicando non omnes conueniant, exiſtimauimus nos ad rem clarius patefaciendam, duos articulos ſeparatim tractandos eſſe. Alterum de Senectutis initio. Alterum de eius curſu, & progreſſu vſque in finem, quod paulo poſt faciemus. Nunc enim ad omnem ambiguitatem eximendam, & vt quæ poſtea dicenda erunt, planiora reddantur, de altero Senectutis ſenſu, qui metaphoricos dicitur ſupra nobis propoſito, interim agemus.

Senectutis nomen translatè ſumptum.

POSTQVAM igitur diximus hoc nomen Senectutis propriè ad corpus referri, cum poſt exactum certum annorum ſpatium incipiunt vires deficere, & corpus paulatim eneruari: nunc addimus hoc ipſum nomen per quandam ſimilitudinem ad alia multa ſolere transferri.

Ac primo ad ea, quæ non corporis, ſed animi ſunt, veluti cum aliquis recenti adhuc ætate moribus tamen ſenex, ac maturus mentis iudicio vocatur, qualis fuiſſe Daniel perhibetur [a] & Abbas Macharius Alexandrinus [b], qui πανσοφώτερον vocatus fuit, quod in puerili ætate ſenex haberetur, cum citius multo, quàm ætas ſineret, virtutibus profeciſſet.

[a] S. Baſil. in princ. prouer. quæ eſt hom 12
[b] Pallad. in vit. Abb. Macharii Alex. c. 19.

Vicissim

Vicissim verò sunt aliqui, qui cum senes annorum diuturnitate verè sint, pueri tamen & censentur, & vocantur, quando scilicet perturbationum impetu aguntur, & tanquam iuniores viuunt, quos ideo maledicit propheta [a]. Et de his loquitur Apostolus [b], dum eos vocat pueros sensibus. Vnde & vetere prouerbio; *Bis pueri senes*; & repuerascere dicuntur, non tam propter deficientem in eis ex decrepita ætate mentis vigorem, quàm ob intemperatos, ac iuueniles, quos referunt aliquando mores. Quare apud sapientes viros ea solet esse regula, vt puerilem, siue senilem animum non ex annorum numero, nec propter canos, aut rugas, sed ex actionibus ipsis æstiment: Sicuti enim non multum nauigat, vt ille dixit qui huc, & illuc viribus ventorum furentium fertur, & in orbem agitur, sed multum iactatur [c]; sic non diu vixisse eis dicitur, qui vitæ cursum ad fœlicitatis metam non direxit, sed diu fuisse. Hinc q. in sapientia legitur [f]. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis, vita immaculata.* Anacletus quoque Papa scribit. *Non propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri nominantur* [d]. Hoc enim nomen πρεσβύτερος apud Græcos non eum tantum significare solet, qui sit maximè senex, siue antiquissimus, sed qui auctoritate quadam cum maturitate iuncta alijs præstat [e], cuius verbi in veteribus concilijs, & decretis crebra est mentio, vt notum

[a] Isai. c. 65.
[b] 1. Cor. 14. et Philo in prin. lib. resipuit Noe.
[c] Senec. de breuit vitæ c. 8.
[f] Sapien. c. 4.
[d] cap. 8. 84. dist.
[e] Iansen. in concor. Euang. c. 66.

notum est, quando etiam fœminas quasdam presbyteras appelarunt [a].

Hanc quidem ob causam Senes græce γέροντας dictos fuisse Plutarchus ait, tum ob eorum ariditatem, & quia in terram quodammodo fluant [b], tum ab honore, & obseruantia, quæ illis ab alijs præmijs, & veneration is loco debetur [c]. Quod & Dionysius Halicarnas. ostendit dicẽs [d], καὶ γὰρ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ ἀρίστους, γέροντας ἐκάθαθον οἱ παλαιοὶ καλεῖν; ideſt, etenim longæuos, & optimos viros, senes videntur Prisci appellasse. Vnde apud Lacedęmonios summum eorum cõsilium γερουσία dixerunt. Et apud Romanos senatum à senibus vocatum fusse Cato refert [e]. Et Senatores ob ætatem, quos etiam Reipublicæ patres, ob solicitudinem appellatos Isidorus tradit [f]. In sacris quoque literis, seniores populi ab ætate dictos fuisse constat [g], quamuis alij ita appellatos velint, quod & seniores populi, atque in populo auctoritatem obtinebant [h]. Hinc in Concilio Toletano V. legitur, Flauium Ginthilam Regem, ingressum in medium cœtus cum optimatibus, & senioribus Palatij sui, supplicem se omnium orationibus commendasse [i].

Secundo hoc Senectutis nomen metaphoricè ad alias etiam res, vel penitus inanimes, vel in quibus materia plurimum dominatur aliquã do tranefertur. Nam sicuti Senectus ex medicorum sententia, propriè ætatem corporis ingraueſcentem ostendit, & langueſcere incipientem, vt supra diximus. Sic auctores alij hoc nomen ad

[a] Epito. Iur. Pont. lib. 6. cp. 59.

[b] Plutar. in Symp. 3. q. 3.

[c] Plutar. an seni geren sit respub.

[d] Dionys. Alicarn. lib. 2.

[e] Cicer. de senect.

[f] Isidor. in chronicis.

[g] Sign. de Repub. Hæb. lib. 6. c. 4.

[h] Iansen. in concor. Euang. c. 128. vers. Tunc congregata sunt.

[i] in Conc. Toletan. V. cap. 1 nouissimè edito.

men ad omnia ferè creata vbi obsoleſcere incipiunt, per metaphoram retulerunt. Hinc mundum ſeneſcere dicimus, hinc lunæ ſenium appellamus, hinc Vrbem, domum, veſtem ad Senectutem vergere aſſerimus: hinc denique ſenectutis nomen ad ſtirpes, ad arbores, ad ædificia, ad gemmas, & lapides, atque ad alias res huiuſmodi frequenter transferimus.

Quo nomine ſcripſit etiam Seneca epiſtolam [a], qua narrabat, cum in villam animi cauſa ſeceſſiſſet, quocumque oculos vertebat, vndique Senectutis argumenta ſe illi offerre: videbat ædificium dilabi, ſaxa putreſcere, platanis folia decidere, ſquallidos eſſe truncos, turres ruinam minari, & alia cuncta inclinare. Et ſanctus Cyprianus [b]. *Scire debes iam ſenuiſſe mundum, non illis viribus ſtare, quibus prius ſteterat.* Et infra. *Ipſe occaſum ſui rerũ labẽtiũ probatione teſtatur.*

Refertur etiã hoc ſenectutis nome ad exuuias illas ſeu tegmina, quæ uerno tempore ſerpentes exuunt, quod a græcis γῆρας vocatur. Vnde ſerpentes ſenectam exuere dicuntur apud Ariſtotelem γῆρας ὄφεις ἐκδύνουσι [c]. Et Plinius [d], angues ait eodem modo, & ſtelliones ſenectutem exuere, eamque protinus deuorare, quæ alibi idem Plinius ſpolia appellat.

Tertio ſumitur ſenecta translatè pro graui aliquo onere, vnde carmine illo Græco dicitur γάλεπον τὸ γῆρας ἔστιν ἀνθρώποις βάρος & anus illa apud Plautum commonita, vt iret ocius: *Nequeo* (inquit), *tantum eſt hoc oneris quod fero. Quod*

[a] *Senec. epiſtol. 12*

[b] *S. Cypr. ad Demetr.*

[c] *Ariſt. lib. 8. animal. c. 17*

[d] *lib. 8. c. 31.*

ro. *Quod oneris? annos octoginta & quatuor*. Siue etiam accipitur pro re molesta, atque odiosa, aut quæ tædium afferre solet, veluti cum Cicero dixit [a]. *Luget Senatus, mœret equester ordo, tota Ciuitas confecta senio est.* Et alibi [b], *quod omni morbo, senióve careret.* Et Horatius [c]. *Surge, & in humanæ senium depone tamænæ.* Immo generaliter senectutem veteres ætatem malam dixerunt, propter ingentia incommoda, quæ secũ affert [d], pro vt alia huiusmodi exempla multa apud auctores inueniuntur [e].

[a] Cicer. in orat. pro Milone. [b] Cicer. de vniuers. [c] lib. 1. epist. 18. [d] Nõ Marcell. c. 1 in princ. [e] Tiraquelde leg. connub. pag. 100. n. 16

Nunc reuertente ad proprium sensum Senectutis, vt clarior illius status omnibus patefiat, necessarium duximus, vt iam præfati sumus matetiam hanc duobus capitibus, siue articulis distinguere; quorum Primus erit de Senectutis initio; Secundus de eius cursu, & progressu.

De senectutis initio.

QVOD igitur ad primum attinet, non defuerunt aliqui ex his, qui artem medicã profitentur, qui senium statim ab ipso hominis ortu, atque in hanc lucem ingressu inchoari censerent, propterea quod, cum vita hominis nihil aliud si, quã corpori, & animæ vinculũ, quod tamdiu in viuentibus perstat, quamdiu calor, cuius pabulum est humor, in ipsis retinetur: dixerunt simul hæc duo calorem, & humorem quidem dum à calore depascitur, calorem autem,

rem, dum humorem assiduè absumens, non inuenit solidum aliud fomẽtum, quo conseruetur nec extrinsecus alimenti vim vllam, quę integrè id quod perit, valeat instaurare. Hoc igitur decrementum caloris & humoris, Senium vocauerunt, quod ab ortus vsque primordis initium sumere dixerunt, quoniam tunc humidi, quod radicale vocant, vires incipiant dissipari. Et quamuis vsque ad certum ætatis statum hoc ipsum decrementum minus officere soleat homini, ob validiorem nutritionis vim; tamen progrediente tempore, concoquendi facultate debiliori reddita, tradiderunt maiore postea quodammodo lapsu vires deficere, atque corporis actiones inde se ostẽdere languidiores ita vt mors etiam consequatur. Hæc illi.

Verum tametsi hæc de senectutis initio subtiliter, & non absque probabili ratione dicuntur; quia tamen a vulgari hominum sensu longe discrepant, fuerunt qui ætates humanæ vitæ aliter distinguerent; nempe qui quatuor annorum cursus constituerent, & primo infantiam, deinde pueritiam, tum iuuentutem, & demum Senectutem præscriberent. Alij, qui prioribus spatijs quintum, quod consistentis ætatis dixerunt, adderent. Alij etiam, qui aliter traderent. Sed quia nos de Senectute tantum, illiusque initio nunc agimus, ex eruditorum sententia dicimus, Senectutem ab ijs nihil aliud, quam frigidum, & siccum corporis temperamentum appellatum fuisse, quod ex transacta annorum multi-

multitudine proueniret [a]. Quo vero tempore homines in huiuſmodi temperamentum inciderunt; dixerunt non poſſe certa ratione pręſcribi, ob magnam varietatem, quam ſolent homines ex alijs, atque alijs cauſis contrahere. Id circo ijdem Senectutis initium prodiderunt aliter quoad vniuerſam hominis ſpeciem accipiendũ eſſe, aliter quoad ſingulos homines, de quorum ſenectute ageretur. Nam in vniuerſum loquentes quoad humanam ſpeciem, ſenectutis initium circiter annum quinquageſimum [b], ſiue quinquageſimum ſextum, ſiue etiam vſque ad ſexageſimum protraxerunt, eò quod circiter hæc ętatis ſpatia, vires corporis diminui incipiant, & calor naturalis hebeſcere, & ſenſim animal deficere intelligatur. Hincque Græci hoc tempus παραμμαστικὸν, quaſi a vigore deficiens vocauerunt [c].

Quod ſi de initio Senectutis ſingulorum hominum loquamur, dixerunt non poſſe id proprie præfiniri, quoniam alius, alio tempore citius, ſeriusuè in ſiccum illud & frigidum temperamentum incurrit, prout vnuſquiſque vel natura fuit ab initio comparatus, vel ex vitę exercitio, ſiue ex victus ratione, vel ſolicitudine, aut alijs huiuſmodi differentijs etiam à parentum origine, certum naturę ſuę ſtatum duxiſſe videtur.

[a] Galen. lib. 5. c. 9. de ſanit. tuen. circa fin.

[b] Gloſa in proœm. lib. 6.

[c] Galen. lib. 5. de ſanit. tuẽ. c. 2. in prin.

De Senectutis Progressu.

QVARE his omissis, quæ ad Senectutis initia pertinent, ad alterum nunc articulum accedemus, qui ad senii cursum, & progressum spectat, in quo etiam difficultas non leuis reperitur. Nam aliqui ex loco Psalmi colligere voluerunt, septuagesimum ętatis annum extremam ferè senectutem complesti, dum ait [a]: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* a Psal. 89.

Verum communis sensus huius loci ille videtur, vt vita, vel Senectus mediocriter sana possit conseruari, & protrahi vsque ad septuaginta annos. Quę vero validior fuerit, etiam vsque ad octoginta annos produci valeat, & ad plures etiã sed non sine labore, & dolore. Attamen quia reperiuntur multorum exempla ab his diuersa, qui etiam ante septuaginta annos valdè imbecilles senes sunt, & aliqui post octoginta annos adhuc satis robusti, & validi inueniuntur: Id circo aliqui hoc psalmi dictum, quodam prouerbij vulgo recepti more prolatum fuisse sentiũt: alij ad mysticum sensum confugiunt [b].

b S. Aug. in d psal. 89.

Rursus alij considerantes in omni hominum genere non eandem vitę conditionem reperiri, plurimamque ex eorum temperamentis varietatem existere: ideo progressum senij duplicem esse tradiderunt; alterum primum, quod robustius

ſtius. alterum ſecundum, quod languidius eſſet.

Alij hanc Senij productionem, non poſſe æqualiter in omnibus præfiniri, cenſuerunt; ſed prout antea de initio Senectutis diximus, aliter illud in vniuerſum quoad hominis ſpeciem, aliter quoad ſingulorum huminum conſtitutioné eſſe ſpectandium. Sic & in illius progreſſu reſponderunt, vt pro varia hominum conditione, modo longior, modo breuior deprehendatur.

Seneca etiam quédam ſenectutis ſtatum memorauit, cuius nomen non fractæ, ſed laſſæ, deuexæ, non præciptis ætatis dicitur [a]; prout ſcilicet intra maturitatis clauſtra continetur, ac ſenſuum inſtrumentis, quibus ratio muniatur, non deſeritur, nec illa ab eorum ſocietate quodammodo ſe ſeiunxerit.

[a] Senec. Epiſt. 12. & 26.

Non defuerunt quoque, qui Senectutis progreſsum vſque ad centum annos produxerint, quod is longiſſimus ſit vitæ finis, vt ait Caius Iuriſconſultus [b]. Vnde & ſeculum dictum voluerunt, quaſi à Senio, quod ſpatium centum annorum complectitur; quamuis multi legantur eam ætatem tranſgreſſi fuiſſe, vt inter cæteros Tullium Fullonem Bononienſem ciuem noſtrum memorat Plinius [c], qui ad centú quinquaginta annos peruenit. & Abbatis Zoſimi meminit Iuſtinianus Imperator, qui vixit propè centum viginti annos [d]. & Neſtor apud Græcos τριγέρων vocatur, quaſi dicas, eum tres ætates, ſeu trecentos annos vixiſſe [e].

[b] l. ſi vſus fructus municip. de vſufruct. legat.
[c] Plin. li. 7. c. 48.
[d] Authē. de monach. §. ſi vero.
[e] Athenæ. li. 10 pag. 323.

Sed & in hiſtorijs Indicis legitur [f], hac ferè

[f] Ioan. Pe

noſtra

nostra ætate, nimirũ paulo ante annum à Christo nato millesimum, quingentesimum quadragesimum, cum in Lusitania Ioannes tertius regnaret, quendam è Gangaridum gente extitisse, annos natũ trecentos trigintaquinq; qui filiũ habbebat nonagenarium; & quẽ Seniores, qui tum erant, ita de eodem grandæuo à maioribus accepisse aiebant: cui aliquoties iam deciderant dentes, alijs continuo subnascentibus; & barba vbi prorsus incanuisset, in atrum denuo colorem, idque paulatim semetipsa verrebat. Is propter miraculi nouitatem Sultanij stipendijs ali consuetus, idem vitæ subsidium ab Nonnio Acunia Lusitano prætore petijt, qui haud grauatè id assignauit.

trns Maffæus hist. Indicar. lixi, pag. 215.

Fertur etiam in Chronologijs a anni 1139. vixisse tunc quendam Ioãnem à Temporibus qui fuerat armiger Caroli magni, & natus erat annos 361. Et alia quædam huiusmodi exempla interdum leguntur.

a Io. Naucler. in Chronog. generat. 38. pag. 830. Genebrar Chronol. lib. 4. anno 1138.

Verum cum ætates istæ perraræ admodum, & tanquam extraordinariæ recenseantur; his omissis, probata magis illa sententia fuisse videtur, quæ colligitur ex verbis Galeni, dum triplicem inuit Senectutis gradum b.

b Galen lib. de sanit. tuen. cap. 12. in fin. Iul. Alexãdr. de senit. tuen. lib. 31. ca. 3.

Primum, qui ὠμογερόντον dicitur, idest eorum, qui cruda, viridique adhuc Senecta sunt, Αὐναμένων, vt ipse ait, ἔτι πράττειν τὰ πολιτικά, hoc est eorum qui adhuc obire ciuilia negocia possunt.

Secũdũ τῶν μέσην ἡλικίαν ἐχόντων, τοῦ γήρατος, hoc est eorũ, qui mediũ ætatẽ Senectutis tenẽt.

Ter-

Tertium nominat τῶν κατὰ τὴν ἡλικίαν ταύτην πεμπέλων, hoc est eorum, qui secundum hanc ætatem propriè sunt, vt in funebrem pompam mittantur: prout etiam olim Latini capularem Senem vocabant, qui ita esset proximus morti, vt mox capulo, idest feretro efferendus esset, & ideo à Græcis τυμβογέρων dicebatur; vel secundum alios βαθυγήρως, seu ἐσχατόγηρος dictus est, quod profundam, & extrema Senectutem ageret, ac decrepitus esset, cuius in sacris literis[a], & apud Plutar. est mentio.

a Sapien. ca. 41. & 42. et Plutarch. in vita Pompeij.

Verum quia nos de Senectutis Bono agentes longè alia ratione hoc nomen sumendum esse ex Christianæ disciplinæ regulis censemus; ideo quo sensu in præsenti hoc nostro commentario sit accipiendum, in locum proprium hoc explicandum reseruamus[b].

b in 2. part. pag. 53.

De senectute proroganda.

NVNC illud omittendum non est, fuisse olim quendam Philosophum, qui profitebatur se nosse rationem, & modum, quo quis non senescceret; quem reprehendit Galenus[c] dicens, nullum esse animal, ἄγηρον, quasi insenescibile, cum Senectus secundum naturã dicatur, opera vero naturæ esse in euitabilia. Hincq; ait, Philosophum illum cum quadragenarius librum scripsisset de non senescendo; postea cum ad octoginta annos peruenisset, fa-

c In lib. de marco ve. c. 2.

ctum

cum fuisse adeo gracilem, & siccum, vt faciem haberet, qualem Hippocrates scripsit de eo, cui erat nasus acutus, oculi concaui, collapsa tempora, aures frigidę, & contractę, cutis circa frontem dura, intensa, ac arida, ita vt ab omnibus irrideretur; huncque Senectutis statum videtur marcorem appellare[a].

Non defuerunt tamen aliqui, qui scripserint[b], ex naturali constitutione loci fieri posse, vt ibi diutissimam homines vitam degant. nec hoc incredibile esse; quoniam in Hibernia (vt fertur) quædam insulæ sunt, in quibus homines tamdiu viuunt propter eximiā cœli salubritatem, vt cum ad longæuam Senectutem peruenerint; paulisper deficiente propter vim caloris naturalis humido radicali, anima ex corpore ob validam illius constitutionē non facile recedere valeat; hincque cum magni dolores exoriantur, homines post diuturnos labores vitam fastidientes, curare solent se illinc procul in aliam regionem transferri, vbi facilę moriantur. Verum hæc parum videntur à sapientibus viris probari.

Illud quidem nolumns hanc nacti occasionem prętermittere, quamuis Senectus nullo pacto possit ab humana natura auferri, aut quominus aduenianț impediri; non ideo tamen prohiberi, quin ea ex medicorum disciplina, alijsue probatis auxilijs produci possit: non quidem vt Senex ad adolescentiam redeat, sed vt longiore, ac salubriore Senecta vtatur: nec id diuine pro-

[a] *In lib. eodem de marcore. ca. 5. & 6.*

[b] *Alphōs. Tostad. Episcopus Abulē. in c. 2. Genes. pag. 13. col. 1.*

uidentiæ repugnare, quæ licet terminos vitę vni cuique præstituerit, qui mutari hominum industria, aut præteriri non posse videntur a; attamen modus, & media, quibus hæc implenda, & perficienda sint, solent ab eodem Deo ordinari; ita vt medicinæ, tanquam secundæ causæ, & instrumenta quædam adhibeantur, quibus voluntati diuinæ satisfiat; sicuti cibis, vestimentis, domibus, equis, nauigijs, alijsque auxilijs ad vitam tuendam, & proferendam vtimur: alioquin qui secus sentiret, Anabaptistarum opinioni fauere videretur, qui artem medicam, tanquam diuino repugnantem consilio damnarunt, quod passim improbatum esse constat b.

a Iob. c. 14.

b Iansen. concord. Euangel. cap. 34. vers. et ecce mulier

Quinimo vitam humanam, & senectutem ipsam prorogari posse, Gentiles quoque tradiderunt: cum scribat Seneca c, Platonem ipsum ad Senectutem se diligentia pertulisse. Nam *nauigationes, ac pericula multum (ait) detraxerant viribus; parsimonia tamen, & eorum, quæ auiditatem euocant, modus, & diligens sui tutela, perduxit illum ad Senectutem; multis prohibẽtibus causis; Nam annum vnum & octogesimum impleuit sine vlla deductione*, Et paulo post: *Potest frugalitas producere Senectutem, quam ut non puto concupiscendam, ita ne recusandam quidem: iucundum est esse secum quam diutissime, cum quis dignum quo frueretur, effecit.*

c Senec. Epist. 58. uersus fi.

Idem & Galeni auctoritate receptum esse scimus d, cuius hęc verba sunt: *Senectutis marcor dissolui profecto non potest, succurri tamen vt quẽ*

d in lib. de tabe, siue de marco re. c. 5.

pluri-

plurimum producatur, potest; & hæc est illa medicinæ pars, quæ græcè γηροτροφία, id est, Senum nutrix dicitur; cuius scopus est obsistere, & prohibere, prout fieri potest, ne cordis corpus adeo exsiccetur, vt tandem aliquando agere desistat: nam is est vitæ finis, ipsa nimirum cordis ab actione cessatio. Ex ijs autem quæ humectant, est tum lauacrum tum molle cubile, tum somnus, tum vero in primis ac præcipuè ipsum nutrimentum, prout de Senibus cecinit Homerus:

ἐπὰ λούσαιτο, φάγοιτε,
Εὐλέμεναι μαλακῶς, ἦ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.
postquam lotus est, comeditque,
Dormit molliter, hic enim mos est Senum.

Quod idem Galenus repetit alijs etiam in locis [a], subdens tamen totam hanc humectandi rationem non in hoc solum esse positam, cum & alia quędam requirantur.

Cum Galeno autem, quod ad producendam Senectutem attinet, consentiunt etiam tum celebres quamplurimi medicæ artis, ac Christianæ legis professores [b], tum alij clarissimi viri [c], prout ex eorum monumentis patet: affirmantes, se vitę sobrietate & moderatione, non solum vitasse infirmitates corporis; sed incunditatem multam, & tranquillitatem in animo gessisse, ac vitam suam ad longissimam vsque ætatem produxisse, cum tunc auctor ille annorum esset octogintatrium sperareturq. non aliter, quam vitalium humorum dissolutione, se ex hac vita migraturum.

a Galen. lib 5. ap. 3. et c. 12. in fin. de sanit. tuē.
b Marsil. Ficin. lib. 2. cap. 29. Iul. Alex. lib. 3. 1. c. 2. et se. Cardan de sanit. tuen. lib. 4. c. 2. & seq Ferdin. Eust. de vita humana prorogat. sect. 3. fol. 29. Codrōch. Imolē. de Christiana, ac tuta med. rat. lib. 2. c. 1. & alij apud Tiraqll. de nobilitat. c. 31. nu. 555. et sequen.
c Aloi. Corvar. de sobrie-

Et quia hæc, quæ ad Senecturem prorogandam pertinent, alibi latius fuimus persecuti [a], ideo cæteris nunc omissis, illud tantum non silebimus, quod nobis præsentis temporis, quo hęc conscribimus, occasio defert. Nam cum à Sancta Ecclesia, Epiphania Domini Saluatoris nostri, atque trium Magorum ad eum in præsepe adorandum aduentus nunc celebretur, sumpsit Marsilius Ficinus vir eruditissimus, & medicus præstantissimus, præclarum hinc conficiendi pharmaci argumentum ex auro, thure, & myrrha, aureoq. mero compactum, aptissimum, vt ipse ait, ad producendam Senectutem ex naturali horum quæ simul miscentur vi, ac proprietate, ac simul opportunum [b], maxime ex mysterij significatione, ad vitę auctorem venerãdum; cuius libenter à nobis idcirco etiam mentio facta fuit, quod vbi possunt Christiani auctores cum disciplinis, quas profitentur, aliqua etiam ad nostræ religionis pietatem, & ad deuotionem in Deum excitandam pertinentia coniungere, illos eo maiori laude dignos esse iudicamus. Hæc de Senectutis nomine.

[a] *In lib. archiepiscopali Bonon. in 7. par serm. 8. ad medicos.*

[b] *Marsil. Ficin. lib. 2. cap.*

Gentilium de Senectutis conditione variæ Sententiæ.

POSTHAEC, vt rem ipsam nobis propositam ingrediamur, illud prefari etiam oportet, in multis, quę ad Senectutis statum pertinent; exa

mi-

minandis, longe aliter Gentiles auctores, qui bondum veritatis lucem hauserant, sentire soli-tos fuisse, & longe aliter Sanctos Patres, Christianosq. doctores nostros. Nam de hoc ipso nomine Bonum, siue Malum, quo sensu sit accipiendum, licet in nonnullis disputationibus ali quando simul conueniant, in alijs tamen valde dissentiunt; tuncque eo magis discrepant, quando nomen hoc cum Senectute coniungunt, voluntque statum Senectutis siue bonum, siue malum pronunciare.

Quocirca ad omnem ambiguitatem tollendam, atque vniuersa clarius, ac distinctius, quæ tractanda erunt, explicanda, operæ pretium esse existimauimus, de his sigillatim agere, atque antea istorum, qui naturę tantum seminibus edocti fuerunt, sententias in his, quæ tam ad malum, quàm ad bonum Senectutis pertinent excutere; deinde iuxta Christianam disciplinam, hoc quod proponimus bonum Senectutis, quo modo iudicandum, & quanto in pretio habendum, perspicuè patefacere.

Bonum apud gentiles, quo sensu sumatur.

VERVM, dum etiam eorundem Gentilium opiniones persequemur, illud lectores admoneri necesse est, hoc verbum, Bonum, cuius contrarium, Malum est, cum secundum diuer-

sas materias, varie aliquando sumi soleat a: nos hoc loco, quo de Gentilibus agimus, nomina ista communi quodam, & vulgari sensu accipere, quo Bonum aliquid dicitur, quod est quomodocunque appetendum, siue id honestum, siue vtile, siue delectabile sit b. Malum vero, quod nulla ratione desideratur, sed Bono repugnat, illiusque est priuatio. Nam inferius deinde, cum ex Christianorum disciplina nobis de Senectute sermo erit, aliter bonum, & Malum erit declarandum.

Et quoniam eosdem Gentiles in hoc Senectutis argumento, valde etiam inter se discordes fuisse legimus; cum alij Senectutem bonam esse, atque in pretio habendam censuerint. alij malam potius, ac miseriarum plena iudicauerint; ita vt in vtranque partem declamatum fuisse olim apud Græcos, & Latinos videamus. c Id circo diuersas eorum sententias, ac rationes, quibus adducti fuerint, primum recensere, vniuersaque illorum de Senectutis statu iudicia, quodammodo in vnum colligere, & Lectorum oculis subijcere, ex re esse censuimus. Quod vt facilius nobis succedat, quæcunque ab eis in hoc genere dicta, ad quatuor præcipuas opiniones redigi posse arbitrati sumus, quas modo persequemur.

a Arist. mag. moral. lib. 1. cap. 3. Multa refert S. Tho in p. q. 48. ar. 5. Et in 1. 2. q. 18. art. 2. & seq. Et S. Anton. part. 1. tit. 13. c. 2.

b S. Ambros. lib. 1 de offi. c. 9 S. Thom. in 1. q. 5. art. 6.

c Stobeus sermon. 266. 267. 268. Plutarc. an seni gerenda sit Respub. & alij apud Tiraquel. in præfat. de iure primog. num. 80.

Prima opinio Gentilium de Senectute, & alijs ætatibus, naturam ipsam criminantium.

PRINCIPIO igitur sciendum illud est, olim non defuisse aliquos scientiæ opinione inflatos, qui rerum superficiem potius, quã intimam veritatem spectantes, ausi fuerunt, cõmunem humani generis parentem (naturam scilicet nostri amantissimam) tanquam nouercam aut iniquo in nos odio infensam criminari [a]; quippe quæ hominem perpetuis miserijs circumseptum, ingentibusque quotidiè angustijs affluentem, in lucem eduxerit: cui satius erat in tenebris delituisse, quam viuum animal produci, cuius membra, sensusque omnes tot assiduè plagis concuterentur. Hinc que isti communes has humanę vitę miserias deplorantes, singulos ętatem gradus suis notare cladibus conati sunt, ac Senectutem prętęr cęteras, tanquam grauioribus calamitatibus redundantem maiore odio habendam esse existimarunt.

Huius insaniæ tanquam primarius auctor quidam Crãtor celebratur, qui scripsit librum de Luctu [b], in eoque tradidit, homines luendorum scelerum causa in hanc lucem ingredi. Illud autem mirum est, olim maximis, & grauissimis viris hunc librum vere aureum, & valde probatum fuisse, qui etiam ad verbum non modo legendum, sed ediscendum esse tradiderũt [c].

[a] Plinius in proœm. lib. 7. et Seneca lib. 2. de benefic. c. 29.

[b] Diogen. Laert. li. 4. in vit. Crant. S. Hieron. in Epitaph. Nepotiani.

[c] Cicer. li. 2. Acad. quæst. Plin. in præf. ad Vespesia.

Alter fuit Silenus, qui addidit, non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ; proximum autem, si natus sis, quam primum mori, & tanquam ex incendio fortunę effugere[a]. Vnde illud a poetis & alijs iactatum; *Naturam nihil tristius hominibus præstitisse, vitæ longitudine. et nihil melius uitę breuitate*[b]. Et quod Seneca scripsit: *Nemo vitam asciperet, si daretur scientibus.*

[a] *Plin. lib. 7. in præf. Lact. lib. 3 c. 18. refert. etiã Petrarc. lib. 1. epist. senil. epist. 4. incip magnis me monstris. Sophocl. in Tragœd.*

[b] *Plin. lib. 7. cap. 50.*

Hoc idem argumentum copiosè admodum, & luculenter, vt cætera solet Cicero, in libro de Cõsolatione persecutus est[c], incipiens à primo illo temporis momento, quo exit in lucem homo, cum vagitu, lacrymis, & eiulatu: vnde argumentum calamitatis illius, quam ingredimur, nobis præberi ait, ab optima parente natura, quæ nihil inane solet efferre; ac potius ijs rebus quas effecit, admiranda semper vel pietatis, vel iustitiæ, vel prudentię documenta affert.

[c] *Cicer. lib de cõsol.*

Inde post primæ huius ętatis primordia, quę nobis sunt cum brutis ferè communia, perstringit idem Cicero infantiæ, & pueritię cursum, omnis rationis, ac corporis vsus expertem, & quamplurimis doloribus, ac molestijs subiectum. Post, adolescentiæ lubricum persequitur, vbi laudabilium rerum contemptio, turpitudinis appetitio, veri boni ignoratio, nulla futuri temporis cura, assiduus molestiarum concursus existit. Subinde constantis ætatis difficultates tradit, perturbationes, quæ ex publica, priuataque administratione oriuntur: æmulationes, quę

à bo-

à bonis: pericula, & insidias, quæ a malis intenduntur: vbi ætas nunquam pacata, semper laboriosa, semper anxia & solicita deprehenditur. De extremæ verò ætatis, ac Senectutis miserijs, angustijs, ac anguoribus, quam multa recéfet, cum dicat, nihil aliud esse, senem videre tremen tem, incuruum, canum, imbecillem, & infirmum, quam cernere morientem viuum, aut viuentem mortuum.

Verum prçter hçc, omnium etiam hominum genera attingit, siue sint Principes, siue medij, aut infimi, quos miseria semper comitatur; cum Regum notç sint solicitudines, pericula, ac incertæ varietates: Mediocrium ambitiones, anxietates, & cupiditates, nunquam suo statu contentæ: Infimorum verò hominum inopia, iniuriæ, tributorum onera, aduersaque ferè omnia illis perferenda.

Quibus angoribus, & molestijs, nec fœminarum carere conditionem inquit, imo quo mollior earum est natura, et ad propulsanda incómmoda infirmior, eò grauiorem illarum esse statum docet.

Tandemque post alia multa huius generis enarrata, subdit. *Non intelligo quibus nasci expediat, cum hinc in ærumnas, & miserias ingrediamur.* Quod Thracum exemplo declarat, qui nascentibus liberis lugere, morientibus lætari solebant: vitæ initium, vt ingressum ad molestias, & labores inuiti videntes: exitum verò, vt miseriarũ finem, & quietis portum contemplantes.

Ad

Ad hæc, alij multa in eandem sententiam addiderunt, ostendentes omnia ferè creata, aduersus homines coniurare, ignes incendijs, aquas alluuionibus, ædificia ruinis, æstus, frigora, fulmina, glaciem, gladios, plurima ciborum genera, ne venena, pestilentiam, leones, angues, & quod grauius est, bella, & mutuam hominum sæuitiam recenseamus. Tum adeo exiguum vitæ huius spatium esse, vt detracto infantię, somni, aliarumque necessitatum tempore, quo nullus rationi locus est, ad eas hominem angustias redigit; vt quemadmodum ineptum esset, animantia illa à Græcis ἐφήμερα vocata, modo iuniora, modo seniora prohorarum quibus viuũt spatio, nominare, sic indignum videatur, hominis vitam aut longam, aut breuem, etiam si ad annos centum producatur, aut vllam illius senectam tanquam maturam ætatem appellare, postquam illius cursus omnis, momento ferè concluditur.

His adiungunt repentinos casus, mutationes perpetuamque rerum inconstantiam, quæ neminem felici quocunque statu positum, cum tranquillitate quiescere patitur: sed omnia semper suspensa, assiduis veluti fluctibus agitata, detinet.

Quare ab aliquibus, hisce verbis res hęc tota concluditur [a]: *Lubrica, & incerta sunt omnia:* & infra: *Omni uita supplicium est, in hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modo alleuans nos subitis incremẽtis,*

modo

a Seneca ad Polyb. de consolat. c. 28.

modo maioribus damnis deferens, assiduèque iactans, nunquam stabili cõsistimus loco, pendemus, & fluctuamus, alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus, nullus portus nisi mortis est.

Aduersus priorem Gentilium de Senectute sententiam.

HAEC Summa priscorum illorum hominum in densa rerum caligine olim versantium, atque iniquissimis odijs communem naturæ statum prosequentium; qui eum aduersus singulos ætatum gradus inueherentur, tum præcipuè Senectutem, vt cęteris languidiorem, & miseriorem insectati fuerunt.

Quos quidem cæcitate, ac imperitia, seu improba potius stultitia lapsos fuisse, probare minime necesse est, repugnãte admirabili hoc vniuersi orbis opificio, quod frustrà à Dei sapientia esset conditum, si homo, cuius causa creata omnia erant, fuisset extinguendus. Vnde sicut qui puluerem, cęnum, putrida ligna, & quidquid corruptum, vsque inutile in visceribus montium, auri fodinis admixtum inuenitur, simul colligeret, ac prolatum in conspectu hominum in rudemque aliquam molem compactum, inde auri, argentique venas, ac pretiosos thesau-

ros

ros, quibus ista aliquando adhærent, auderet condemnare, delirare prorsus censeretur. Aut cum vina etiam optima, suas soleant habere fæces, vt in vetere est prouerbio, aliquis tamen hęc tantum sordida vini excrementa respiciens, absolute vinum omne vituperaret, mereretur ille, vini, & liquoris vniuersi, sibi vsum perpetuo interdici: Sic istorum, naturam ætates, & præcipue Senium, impugnantium industria, aut potius ignorantia, in ijs tantum perscrutandis, & coaceruandis videtur elaborasse, quæ offensionem aliquam vulgo poterant afferre: omnibus ijs prętermissis, quę eximia, præstantissima, atque vniuersis rebus creatis salubertima liquido esse dignoscuntur: recte enim ait Sanctus Basilius [a]: *Sicut nulla nascitur rosa sine spinis: ita nulla vitæ conditio molestijs, & incommodis vacat. Imo etiã ipsa, quę bona votantur in vita, suis sentibus sunt circumsepta; laudantur nuptiæ, sed quod in coniugio molestiæ? desiderantur filij, sed quot ex ijs sæpè dolores? diuites censentur beati, sed quam multa ijdem sentiunt amara? sunt hæc vitæ tributa, quibus si patienter homo vti norit, maxima inde lucra, virtutumque ornamenta percipiet.*

[a] S. Basilius hom. xi. in exameron.

Et quamuis Cicero tam magni, vt notum est, nominis, & auctoritatis, illorum exemplo in eandem sententiam fuerit aliquando digressus, [b] vt supra memorauimus; nihilominus possemus, vno verbo cum alijs doctis viris illud tãquam non certum, aut verum Ciceronis opus reijcere.

[b] In lib. de consolat.

Verùm

Verùm quoniam cōpertum habemus, alios etiam doctos viros extitisse, qui illum libellum, vt legitimum Ciceronis partum agnouerint, hodieque nō deesse, qui idem sentiant: nos neutram damnantes sententiam, ac suum cuique iudicium, & veritati locum relinquentes, interim vulgato titulo, qui excussus per manus omnium, Ciceronis nomine circumfertur, seruientes, non absurdè dici posse putamus, Ciceronē in libri illius principio, oratorio more, vt loco illi, atque argumento indulgeret, ea παρεργῶς quodammodo profudisse, cum suscepti à se operis institutum aliò tēderet, finisque ipse sibi propositus, alienum valde ab eo, quod in præfatione attigerat, consilium suum fuisse, declarauerit; præterquam quod tot alijs in libris, disputationibusque suis, se ab hac tam stolida, inanique opinione, longè abfuisse ostendit; ac Senectutem ipsam, de qua agimus, in magna verè existimatione, & cultu à se habitam fuisse, proprius de Senectute libellus Catoni adscriptus, manifestè testatur; de quo infra latius agemus.

Quod si quis fortè obijceret, hoc ipsum argumentum, de humanæ vitæ, & præsertim Senectutis calamitatibus, à Christianis etiam auctoribus, sanctisque Patribus frequenter in eorum concionibus, atque homilijs tractari, conantibus populo cōtemptum huius mundi persuadere, atque ad humana omnia pro nihilo habenda incitare, cum & apud sanctum Ioannem legatur. a *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo*

a 1 S. Io. epist. 1. c. 2.

mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: Quoniam, Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et, *mundus in maligno positus est.* Hincque alia multa huiusmodi de vitæ huius breuitate, fragilitate, fallacijs, atque insidijs, vbique inculcare non desinunt, vt homines in illius despicientiam, atque odium adducantur, cum & Innocentius Papa Tertius integrum librum, de vitæ huius miserijs conscripserit.

Respondemus, de ijs nobis inferius, quomodo accipienda sint, latius agendum esse[a]; interim sufficiet id attigisse, longe diuersa Christianorum consilia à superioribus gentilium traditionibus esse: cum isti summum hominis bonum, in quo positum esset, & quo tempore à nobis obtinendum ignorantes, in absurdas adeo sententias proruperint, vt optimum esse, nunquam in hanc vitam prodijsse affirmauerint: omnesque ætatum gradus, & præcipuè Senectutem detestati fuerint: tanquam laborum impatientes, & pondus rerum benè gerendarum non sustinentes.

[a] In 2. part.

At Christiani ad felicitatem æternam in cœlesti regno, post huius breuis æui spatia aspirantes, hæc molestiarum onera, dierumque solicitudines, tanquam virtutis exercitationes, ad charitatem, fortitudinem, vigilantiam, patientiamque declarandam agnoscentes; non tantum aduersis, noxijsque rebus non deterrentur, sed

etiam

etiam inuicto animo ad ea amplectenda, & tanquam ad certamina superanda, proposito sibi immortali præmio, strenue accinguntur, atque concitantur. Sed de his alias plenius.

Secunda opinio Gentilium senectutem multipliciter accusantium.

SEQVITVR secunda aliorum opinio, paulo æquior, qui communem hominum naturam minimè accusantes, extremum tantum vitę humanæ gradum, qui senio continetur, tanquam grauissimis multis ærumnis vexatum, detestandum esse dixerunt, atque absolutè malum esse pronunciarunt: considerantes tria illa bonorum genera, honestum scilicet, vtile, & iucundum; quibus vniuersa omnia, quę optari possunt, comprehendi solent, minime huic ætati conuenire, non honestum, cum Senectus sit omnis ferè expers officij; non vtile, cum ætas illa, aliena potius ope indigeat: non iucundum, cum Senes perpetuo in languore, & solicitudine versentur. Contrà verò, noxia omnia, & aduersa, quę ad tria capita summatim redigi consueuerunt, animi scilicet, corporis, & externa [a], in Senectam tanquam propriam sentinam, ac miseriarum vallem, deriuare conspiciantur.

[a] Aristot. 1. Ethic. c. 8. S. Thom. 1. 2. q. 84. art. 4. & 2. 2. q. 104. art. 2.

Quapropter, vt præcipuas istorum rationes memoremus, persequemur sigillatim ea, quæ animi, tum quę corporis, ad extremum, quę externa

terna mala censentur: vt ex eorum sententia, Senectutem cunctis his detrimentis maxime vexari constet.

Quo loco non ea tantum, quæ huius ætatis propria sunt, & peculiaria mala includemus, sed quæ etiam alijs ætatibus quandoque sunt cõmunia; eo quod, cum in hanc senilem incidũt, solent eò grauiora haberi, & tunc magis apparere, & acerbiorem dolorem afferre: sicuti est paupertas, quæ & si quolibet tempore sit grauis & molesta, cum tamen Senectutem apprehendit, solet tunc esse grauissima, & acerbissima. Vnde apophtegma illud Diogenis, qui rogatus quidnam esset in hac vita calamitosissimum, respondit γέρον ἄπορος: ideſt, *senex indigens*. Et alius dixit: γέρον ἐραστὴς, ideſt *senex amator*. Sic & alia huiusmodi dicemus Senectuti esse mala, & damna, licet eadem omni ætati possint esse infesta.

Animi molestiæ in Senectute.

ITAQVE ab animi solicitudinibus inchoantes, quę senile pectus vehementer exagitant; dixerunt illi, qui Senectutem impugnat, certum esse, cum incommoda, quæ in reliqua vita emergunt, ab ipso temporis progressu, spem aliquam futuri solatij soleant concipere; in Sene, qui hac expectatione destituitur, multo grauiora existere imo hinc magis molestias eius augeri, cum sibi sensim deficere animi, & mentis vires agnoscat.

scat; nec postquam senuit, vllam sibi pristini sta tus recuperandi spem supereſſe, sed omnia po- tius fugiente tempore in deterius labi: vnde non potest non valde commoueri.

Videt etiam non amplius sibi illud mentis acumen supereſſe; quod in iuuentute gerebat, nec facultates intellectui deseruientes, quas ali- qui sensum communem, phantasiam, cogitandi vim, & memoriam vocant, Senectutis vitio sen- sim obtundi, & vix iam suo officio fungi. Memi nit etiam ætatem illã rebus magnis administran dis inutilem putari, quod ita esse, ex Lacedemo- niorum vsu constat; qui cum præter cæteros omnes Senibus honorem haberent, tamen non existimabant expedire, Senatores esse perpe- tuos, aut Senes continuo permanere in magistra tu, quia in eis mentis vires debilitari arbitraban tur. a

Præterea vbi Senex seipsum diligenter excu- sit, ac perpendit, facile animaduertit, cum anno rum incremento multa etiam virtuti infesta si- bi accessisse, b cum Senes illiberales, & nimis te- naces efficiantur, nimisque pusillanimes, & for midolosi, nimis suspicioſi, nimisque increduli reddantur, parumque amicorum colloquijs de lectari, parum alijs assentiri, atque ab amici- tijs parandis potius auersi, ac modicæ admo- dum spei esse deprehendantur.

Quid plura? cum sciat Senex, etiã ætatẽ illã vulgari prouerbio malam ætatem à poetis voca ri solitam c, & vetus fuisse adagium, *Sexagena- rios de*

a *Arist. lib. 2. polit. c. 7.*

b *Arist. lib. 2. Rhetor. c. 13. & 8. Ethic. ca. 5.*

c *Euripides chor. in Here. fur.*

Alex. ab Alex. dierum genial lib. 3 c. 2. & li. 4. c. 3.

rèos de ponte deiicere; atque etiam multorum populorum mores occurant, qui aduersus Senes acerbitatem summam exercuerunt; & iam vulgo dici soleat, *Senex est, & non est.* Ideo non potest ille hæc secum cogitans, atque mortem sibi quotidie impendere sentiens, non interiore mentis cruciatu maxime conuelli, & solicito semper animo esse.

Mala corporis senectutem vexantia.

SEQVVNTVR alia mala, quæ corporis dicuntur, Senectutem vexantia: quorum alia propria Senectutis mala dicuntur, alia cæteris quoque ætatum gradibus contingere solent. Ac priora quidem vtinam non ita passim nota essent, atque ab eis Senes non adeo acerbè afficerentur.[a] Nam quod præ senio caligent oculi, aures obsurdescant, dentes decidant, manus tremore, & crura languore concutiantur, perspicuum est; fueruntque aliqui sapientes viri, qui hæc omnia, & alia huius generis ex libro Ecclesiastes deducere, & comprobare conati sunt[b]. Vt enim quidam argute dicebat, Senis conditio persimilis est oppido humili, ac debili muro circundato, inopia commeatus laboranti, atque omni fere præsidio nudato, quod validissimus hostis assidue obsidet, varijsque machinis, ac tormentis expugnare contendit; cui in dies singulos periculum est, ne propugnatores, vel

[a] Greg. Nyssen. in oratione consol. in funere Pulcheriæ.

[b] S. Hier. in c. vlt. Eccles. Franc. Valles. de sacr. philosoph. c. 66.

rerum

rerum necessarium penuria, vel quòd hostibus nulla proportione pares esse possint, sese eis dedere cogantur. Quinimo hac vna ratione, Senis conditio longe deterior est, quod qui obsidentur, perfugium aliquod habent in lacertis, in gladio, in dimicatione, in fuga: at senex omnibus omnino præsidijs destitutus est. Quamobrem cum exercitationibus, peregrinationibus, omnibusque ijs functionibus, quæ vires aliquas membrorum postulant, se prorsus inhabilem quotidie experiatur, non potest non magnopere angi mœrore, ac diuturna excrutiari molestia. Et quod eius miserias in primis auget, illud videtur, quod vt in vetere est prouerbio, *Senectus insanabilis morbus existit.*

Quid autem præterea de ipsa Senectute dicemus, si ad calamitates, quæ ipsius propriæ videntur, eas addimus, quæ communes sunt reliquarum ætatum, quantus inde malorum cumulus accedet? cum constet auctorum grauium testimonio, infinitam morborum esse multitudinem [a], & innumerabilia febrium genera [b], adeo vt vt S. Augustinus scriptum reliquerit [c]: *Nondum omnia morborum genera fuisse hactenus literis comprehensa.*

[a] *Plin. li. 7. c. 51. & li. 25. c. 3.*
[b] *Senec. Epist. 91.*
[c] *S. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei c. 22 vbi Ludouic. Viues alia affert.*

Mala extrinsecus perturbantia.

TERTIO loco locanda sunt mala, quæ extrinsecus homini in ipsa Senectute ob-

uenire possunt, dupliciter & ipsa considerata, seu, vt propria occidentis ætatis, seu vt communia in hoc humanæ vitæ curriculo; quæ omnia præ multitudine enarrare, cum valde difficile sit, ea legentibus potius cogitanda relinquimus.

Prætereundum tamen non est, primum versari Senem in hoc ferè assiduo discrimine, vt multi ad eius bona anhelantes, voto interdum captandæ illius mortis accendantur, & vitæ etiam insidentur. Deinde accidere sæpe solet, vt illius filij, & nepotes præmoriantur, spesque omnis posteritatis, ob infirmam ætatem illi prorsus præcidatur. Præterea alia se illi damna obijciunt, eo grauiora, & acerbiora, quòd in alijs mœroribus & angustijs, quibus mens humana obsidetur, solet homo se non leuiter ea saltem ratione solari, quod eas aliquando aut extinguendas, aut mutandas seu leniendas esse confidat [a]. At verò cum præceps illa senilis ætas vno tantum gradu a mortis limine distet, omnemq; repellendæ ærumnæ & calamitatis spem penitus præcidet, fit consequens, vt miser ipse senex omnibus subsidijs destitutus, animum despondere cogatur.

[a] S. Tho. 1 q. 7 art. 2. in corp. & ad tertium.

Quod verò ad ea mala pertinet, quæ in hoc tertio genere alijs etiam hominum ætatibus sùt communia: illud hic tetigisse satis sit, ea accidere Seni grauiora, & ad perferendum difficiliora, quòd hæc ætas ijs præsidijs plerunque caret, quibus aliæ ad impedienda, vel propulsanda eiusmodi mala, videntur abundare.

Nec

Nec iuuatur idem ijs cautionibus, aut consilijs, quibus Senes interdum se tueri solent: siquidem tam multa, tamque frequentia sunt humanarum persecutionum, insidiarum, criminationum, damnorum obtrectationum, atque ærumnarum euenta, vt nulla quantumuis sagaci industria præcaueri, nulla cog nitione anteuerti, nulla denique ratione queant euitari.

Quare miserrimam omnium hanc esse ætatem, & nihil in ea, nisi triste, amarum, perniciosumque inueniri concluserunt: & præterea plurima exẽpla, quæ ab Aeliano, & alijs scriptoribus traduntur, aduersus vitia Senectutis, adiunxerunt.

Verum quoniam ex Christiana disciplina, hæc omnia propriè mala non censeri docemur: aduersusque hæc alia multa maiora bona in Senectute existunt: nec ipse Senectutis status huic extremæ miseriarum conditioni per se subijcitur: imo vt facile superare ærumnas omnes valeat, subsidijs quamplurimis est exornata; idcirco obiectiones has inferius examinandas, & diluendas reseruamus.

Tertia opinio gentilium de Senectute.

TERTIA succedit opinio, tanquam media inter superiores, quę fatetur quidem, Senectutem non proprijs carere molestijs, & angoribus, atque frequenter ingentibus difficul-

uenire possunt, dupliciter & ipsa considerata, seu, vt propria occidentis ætatis, seu vt communia in hoc humanæ vitæ curriculo; quæ omnia præ multitudine enarrare, cum valde difficile sit, ea legentibus potius cogitanda relinquimus.

Prætereundum tamen non est, primum versari Senem in hoc ferè assiduo discrimine, vt multi ad eius bona anhelantes, voto interdum captandæ illius mortis accendantur, & vitæ etiam insidentur. Deinde accidere sæpe solet, vt illius filij, & nepotes præmoriantur, spesque omnis posteritatis, ob infirmam ætatem illi prorsus præcidatur. Præterea alia se illi damna obijciunt, eo grauiora, & acerbiora, quòd in alijs mœroribus & angustijs, quibus mens humana obsidetur, solet homo se non leuiter ea saltem rationem solari, quod eas aliquando aut extinguendas, aut mutandas seu leniendas esse confidat [a]. At verò cum præceps illa senilis ætas vno tantum gradu a mortis limine distet, omnemq; repellendæ ærumnæ & calamitatis spem penitus præcidet, fit consequens, vt miser ipse senex omnibus subsidijs destitutus, animum despondere cogatur.

[a] S. Tho. 1 q. 7 art. 2. in corp. & ad tertium.

Quod verò ad ea mala pertinet, quæ in hoc tertio genere alijs etiam hominum ætatibus sũt communia: illud hic tetigisse satis sit, ea accidere Seni grauiora, & ad perferendum difficiliora, quòd hæc ætas ijs præsidijs plerunque caret, quibus aliæ ad impedienda, vel propulsanda eiusmodi mala, videntur abondare.

Nec

Nec iuuatur idem ijs cautionibus, aut consilijs, quibus Senes interdum se tueri solent: siquidem tam multa, tamque frequentia sunt humanarum persecutionum, insidiarum, criminationum, damnorum obtrectationum, atque ærumnarum euenta, vt nulla quantumuis sagaci industria præcaueri, nulla cog nitione anteuerti, nulla denique ratione queant euitari.

Quare miserrimam omnium hanc esse ætatem, & nihil in ea, nisi triste, amarum, perniciosumque inueniri concluserunt: & præterea plurima exẽpla, quæ ab Aeliano, & alijs scriptoribus traduntur, aduersus vitia Senectutis, adiunxerunt.

Verum quoniam ex Christiana disciplina, hæc omnia propriè mala non censeri docemur: aduersusque hæc alia multa maiora bona in Senectute existunt: nec ipse Senectutis status huic extremæ miseriarum conditioni per se subijcitur: imo vt facile superare ærumnas omnes valeat, subsidijs quamplurimis est exornata; idcirco obiectiones has inferius examinandas, & diluendas reseruamus.

Tertia opinio gentilium de Senectute.

TERTIA succedit opinio, tanquam media inter superiores, quę fatetur quidem, Senectutem non proprijs carere molestijs, & angoribus, atque frequenter ingentibus difficultatibus

tatibus conflictari; sed tamen non negat etiam, sua illi adesse subsidia, quibus possit subleuari, variaque proponit tum solatia, & oblectamenta, tum munimenta, quibus eadem refici valeat, ac roborari, partim à medicis, partim à philosophis, partim etiam à popolorum institutis, & à communi consuetudine desumptá; quæ quanti sint, ac qualem vsum afferant, mox dignoscetur.

Ad tristitiam minuendam subsidia.

ITAQVE à tristitia incipientes, quæ senilem mentem maximè opprimere solet, ac remedia perferens, quibus ea mitigari solet; certum est, illud tanquam salutare antidotum approbatum fuisse, quod ex relasationibus, quæ sensum oblectant, percipi solet, veluti ex symphonia, ludis spectaculis, colloquijs, commessationibus, gestationibus, balneis, viridarijs, collium amœnitatibus, fontium irrigationibus, & alijs huiusmodi solatijs. Hincque & Cato apud Ciceronem tantopere se delectari aiebat recessibus villarum, atque agriculturę voluptatibus.

Quæ quidem, eam etiam ratione adiuuare solent, quòd cum tristitia mentem defixam in męsta aliqua cogitatione detinent, hæc rerum varietas animum inde auertere, atque ad alia iucundiora transferre consueuit.

Nos autem, etsi non negamus, hæc ipsa magnum multis, pro eorum naturæ propensione, ac

ac consuetudine solatium aliquando attulisse [a]; tamen cum extrinsecus potiùs oculos, aures, & corporis sensus nonnihil demulceant, latentem autem ipsam mœroris causam non attingant, imo his cessantibus, interior illa tristitiæ radix adhuc animum exedat; non videntur esse huiusmodi, vt in his solida vlla recreandæ Senectutis, aut minuendæ tristitiæ spes sit defigenda. Nam, vt inquit Seneca: *Quod bonum est, extrinsecus instrumenta non quærit, domi colitur, ex se totum est.* Et Plutarchus [b]: *Neque talceus podagra neque annulus pretiosus reduuia, neque diadema dolore capitis liberat, sed ad vacuitatem molestiæ opus est animo, vitæque constantia.* Et Horatius: *Quod petis hic est: Est Vlubris, animus si te non deficit æquus.* Sic videmus medicamenta, quæ morbis extrinsecus adhibentur ac topica dicuntur, nisi purgato antea corpore, à medicis non valde probari, quod intimam, & latentem morbi causam minimè tollant; verum eiusdem potius vim augeant, atque in plures corporis partes diffundant.

[a] *Aris. 9. Ethic. ca. 11. S. Th. 1. 2. q. 38. art. 1. 2. & seq.*

[b] *lib. de tranquil. in princ. & Horat. li. 1. Epis. xi.*

Quod etiam exemplum Sancti Augustini liquere potest [d], qui cum ex obitu matris suæ magna se tristitia, atque animi mœrore afflictum sentiret, eique in mentem veniret, balnei præsidio vti, quod ad repellendam animi acerbitatem prodesse putaret, cum à græcis βαλανειον, id est balneum nomen acceperit, παρὰ τὸ ἀποβάλλειν τὰς ἀνίας, quod anxietatem pellat ex animo; fatetur tamen ipse, quod talis lotus egressus

[d] *S. Aug. li. Confes. 9. c. 12. circa fin.*

ius est, qualis erat ante, quoniam hæc mœroris amaritudo ex illius corde non erat elota.

Seniles mentis curæ quædam medicorum opera iuuari, aliæ curari nequeunt.

ALII huiusmodi mentis solicitudines, ac molestias abstergere volentes, earumque originem subtilius inuestigantes, cum inuenirent aliquas ex propriæ naturæ vi, corporisque simul constitutione oriri, alias aliunde variis ex causis surgere, medicorum eas in primis opera curari, aut saltem mitigari in Sene tradiderunt. Nam quamuis eorum disciplina ad corporis præcipue curationem pertineat, tamen cum quædam sit corporis inualetudo, & humorum intemperies, quæ inordinatos affectus in animum aliquando inuehunt, certum esse dixerunt, ex medicorum ope, qui ad radices ægritudinum euellendas, sanitatemque restituendam incumbunt, prauos etiam affectus sæpè abstergi. Vnde & Vlpianus Iurisconsultus quædam esse vitia corporalia respondit, quę interdum ad animum penetrant[a]. Et auctores aliqui, qui de plantis scribunt, nonnullas recensent, quę non solum corpori, se etiam animo afferunt vtilitatem[b].

Quapropter quando solicitudo animi, & tristitia, de qua agimus, à vitio appetitus sensitiui oritur, & cognationem quandam cum corporis humoribus coniunctam habet: dubium non

[a] *l. 1. §. apud Viuianum. l. ob quæ vitia. de adelit. edict*

[b] *Plin. li 25. cap. 5. Aul. Gell. li. 17. c. 15*

non esse dixerunt, medicorũ arte, ac peritia plurimum subleuari. Exempli causa nouit medicus corpus hominis impuris humoribus redundare quibus animus etiam valde exagitatur; metuque, tristitia, iracundia, luctu atque alijs huiusmodi affectibus nimium vexatur; certè huius medici munus est, pharmacorum præsidio, aut alio commodiore artis suæ instrumento melancoliam, bilẽ, alioſque vitioſos humores, tanquã seminaria metus, & aliarum eiusmodi perturbationum depellere; vt ita Senex symetriæ humorum, ex qua facultatum animi harmonia iuuatur, restitutus, debita hilaritate, ac tranquillitate perfruatur.

Verum quoniam aliæ reperiuntur nonnunquam in Sene difficultates, & incommoda, quæ licet cum corporis sensu coniuncta videantur, à voluntatis tamen prauitate potius oriuntur; veluti, quòd morosus, implacabilis, tardus, suspicioſus, & vt Theognis dicebat, indocilis; necnon quædam animi curæ, atque anxietates quandoque eum lædunt, quæ ex vitioſis potius animi habitibus, prauiſque institutis sunt contractæ, qualis est ambitio, auaritia; mendacium, assentatio, inuidia, infidelitas, dolus, obtrectatio, & alia huiusmodi; Ideo in his non solo medicorũ auxilio est nitendum: quorum nón est, Senectutem à grauioribus animi perturbationibus prorsus liberare, nec eas omnes cordis solicitudines, quibus affecta ætas plerumque laborat, vllis arte compoſitis pharmacis euellere; sed ad aliorũ magnis

magis disciplinam, atque opem erit recurrendum, vt interim multas vexationes præteramus, quæ extrinsecus obueniunt, supra à nobis enumerata: quibus nihil, aut parum potest medicorum industria prodesse, vt omnibus est notissimum.

Sunt deinde aliæ afflictiones senum, quæ ingruentibus morbis illis, quos exacta, & languida ætas, calore naturali debilitato, secum ferre solet, corpus & mentem simul conficiunt, atque eneruant: quibus leuandis, quæ ratio adhiberi posset, infiniti operis esset, & omnem medicinæ vim, ac medicorum operam penè excederet, licet illi commentarijs suis nominatim hunc locum sint complexi, & artem illam, quæ ad Senes reficiendos pertinet ἀναληπτικὴν, & quæ illorum sanitati tuendæ prospicit, γηροκομικὴν appellauerint [a].

[a] Galen. de anita. suen. lib. 3. ca. 4 in print.

Et quamuis nonnulli hæc non propria Senectutis vitia, sed commune valetudinis impedimentum esse contendant. Attamen cum quidã sint ferè naturales Senectutis morbi tam animi quàm corporis, quorum aut nulli Senes, aut rarissimi expertes inueniuntur; vtique ad eos sanandos, vix credimus pharmaca aliqua ex ijs quæ materialia dicuntur, inueniri posse, quæ cumulate id præstare queant. Vt enim naturæ nobis insitam vim funditus extinguere non possumus [b], comminuere vix possumus; ita morbos eos, qui in nos proxime à natura, & ab ætate manant, penitus conuellere, aut supra humanas vi-

[b] Arist. 2 de Eth. c. 1

res

res, aut certè difficillimum, est quod tamen nos peritioribus diiudicandum relinquimus.

Philosophorum remedia ad seniles molestias sublenandas.

PRAETER Hæc autem medicorum remedia, sunt etiam ad seniles molestias leuandas alia subsidia à philosophis excogitata. Cum enim Senex plerunque nullo, aut leui morbo afficiatur, magno tamẽ mœrore, turbidisque alijs animi motibus crucietur, ad eos depellendos varia ab ipsis philosophis consilia prolata fuerunt quorum aliqua hic subijciemus. Inter cæteros autem sic Plutarchus inquit [a]: *Noli arbitrari Senectute malè audire, & culpari, quia rugas, canos, imbecillitatemque corporis secum trahit: sed hoc habet molestissimum, quod amor rerum terrestriũ pridem homini ingeneratus, vsu diuturno corporis, eò arctius confirmatur, ac nouo eum quotidie studio extimulat: cui non est difficile, animum in philosophia proficientem obsistere, atque tanquã è fuga dilabentem, inanem hanc molestiam, ægritudinemque dissipare.* [b] *Mortem metuere aliud nihil est, quam falso putare se sapere: qui enim mortem metuit, videtur sibi scire, quod ignorat. Scit enim nemo, an mors sit omnium, quæ homini contingere possunt, bonorum maximum: metuũt autẽ eam, quasi certo sciant esse summum malum. In vniuersum autem quisque secum cogitare debet,*

[a] *Plut. in lib. de cõsolat. ad Vxorem.*

[b] *in li. de profect. virt.*

non

non vitam longissimam esse optimam, sed quæ cum virtute maxime administratur: neque enim qui plurimum fidibus cecinit, aut orauit, aut naues gubernauit, in laude est, sed qui ista optimè fecit: nam præstantia non in temporis longitudine, sed in uirtute, & tempestiua moderatione collocanda est. Sic inter plantas, eę habentur præstantissimæ, quæ plurimum fructus minimo tempore ferunt: & inter animalia item ea, ex quibus non longo temporis spatio plurimum vtilitatis vita nostra percipit. Præterea si cum æternitate compares uitę tempus, nihil ferè inter breue, & longum inuenies discriminis. Nam iuxta Pontum animalia quædam vitam vnius diei spatio terminant, & cum mane nascantur, meridie vigeant, vespere consenescant: quam ridiculum esset, hæc momentanea aut timere, aut concupiscere, quæ nec numerare quidem dignum est?

Tristitiæ senilis causa est insatiabilitas.

ITEM Galenus in libro, quem scripsit de dignoscendis, curandisque animi morbis, post. quam vnumquemque dixit, per totam fermè vitam indigere morum exercitatione: & docuit qua ratione varij affectus, & vitia, veluti iracundia, inuidia, auaritia, ambitio, turpitudo, in alijs atque alijs ætatibus curanda essent; de tristitia, ac mœrore, quæ maximè Senibus in festa esse solet, sic locutus est[a]: *Scito omnis tristitiæ, & mœroris unam esse causam, quam insatiabilitatē nostri*

[a] Galen. lib. de dignosc. & curandis animi morbis c. 4. & 9. & 10.

nostri, siue auiditatem inexplebilem vocant, eo quod semper aliquid concupiscat: & ibidem paulo inferius: *In qua expellenda, sinos ipsos assiduè exercebimus, sine omni molestia viuemus. At quo pacto exercebimus? nempe si cognitum habuerimus, rectè dictum esse, vitium animi pessimum esse insatiabilitatem; hoc enim fundamentum est omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, & contentionis.* Et infra: *Quod si turpe est: libertatem eam, quæ humanis legibus accepta refertur, non maximi facere: quo turpius erit eam, quæ & verè, & natura ipsa est libertas, non omni studio appetere? quin illam inhonestis, atque impuris; ac tyrannicis Dominis addicere? lucris videlicet, ac minutissimis quibusque pecuniarijs rationibus, atque cupiditatibus.*

Qui quidem auctor celeberimus, alium quoque libellum conscripsit, De cuiusque animi peccatorum cognitione, atque medela [a]; vbi quotuplex sit peccatum, quid inter illud, ac perturbationem, animi intersit, quomodo vtrique sit occurrendum, & alia multa persequitur, quę non solum ad molliendas Senectutis molestias, verum etiam ad ipsammet Senecturem valdè fructuosam, atque iucundam reddendam, perquam accommodata videntur.

[a] Galen. Class. secunda.

Seneca etiam sic scriptum reliquit [b]: *Adhuc non pueritia in nobis, sed quod est grauius, puerilitas remanet, & hoc quidem peius est, quod authoritatem habemus Senum, vitia puerorum.* Et paulo post: *Nulli potest secura vita contingere, qui*

[b] Epist. 4.

qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. Hoc quotidie meditare, vt possis æquo animo vitam relinquere, quã multi sic complectuntur, & tenent, quomodo qui à torrente rapiuntur, spinas, & aspera. Plerique inter mortis metũ, & vitę tormenta miseri fluctuãt, & viuere nolunt, & mori nesciunt; itaque tibi iucundum vitam, omnem pro illa solicitudinem deponendo. Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem preparatus est animus. Nullius autem rei facilior ammissio est, quam quæ desiderari amissa non potest.

a Epist. 107. Idem Seneca a; Longam viam ingressus es, & labaris oportet, & arietes, & cadas, & lasseris: & exclames: ò mors, ideſt, mentiaris. Alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. Per huiusmodi offensas emetiendum est confragosum hoc iter. Præparetur animus contra omnia, sciat se venisse, vbi.

Luctus, & vltrices posuere cubilia curæ.

Pallentesq; habitant morbi, tristisq; Senectus.

Et infra, Nihil miremur eorum, ad quæ nati sumus, quæ ideo nulli quærenda, quia paria sunt omnibus. Ita dico paria sunt; nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit. Æquum autem est, non quo omnes vsi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur æquitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum est; æstas calores refert, æstuandum est; intemperies cæli valetudinem tentat, ægrotãdum est; & fera nobis

loco

loco occurret, & homo perniciosior feris omnibus; alium aqua, alium ignis eripiet; Hanc rerum conditionem mutare non possumus; id possumus, magnum sumere animum, & viro dignum, quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ consentiamus. Natura autem hoc, quod vides regnum, mutationibus temperat, nubilo serena succedunt; turbantur maria, conquieuerunt: flant inuicem venti; noctem dies sequitur: pars cæli consurgit, pars mergitur, contrarijs rebus æternitas constat. Ad hanc autem legem animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat, & quæcunque fiunt, debuisse fieri putet; nec velit obiurgare naturam; optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari: malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.

De quibus quidem Philosophorum rationibus, ac sententijs quid sit iudicandum, inferius subiungemus.

Quarta opinio Gentilium de Senectute.

NVNC enim quarta & vltima superest de Senectute sententia, cæteris longè benignior, & iustior, quæ Senectutem ab omni crimine vindicare contendit, quamuis non id cumulate omnino sapientum iudicio præstet. Hęc patronum habuit celeberrimum, Ciceronem scilicet, qui tametsi alijs in locis obiter quodam modo Senectutem perstrinxisse videatur, veluti

in

in libro de Consolatione supra à nobis memorato, & non nihil in libro de Amicitia, cum Scipionem præter alia in eo etiam videtur celebrare, quod constante adhuc ætate, (erat quippe annorum sex & quinquaginta) vt aiunt, sublatus fuerit, dicens a: *Quid hunc paucorum dierum accessio iuuare potuisset? Senectus enim quamuis non sit grauis, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio.*

a Cicer. li. de amicit. post princ.

Attamen cum hoc idem argumentum certa deliberatione, firmoque proposito tractandum suscepit, nimirum in præclaro illo, & egregio de Senectute libello, in quo Catonem induxit, Senecturis partes acerrime tuentem, atque ab aliorum obtrectationibus vindicātem: Scimus eum non quidem perfecte, sed valde insigniter hoc expressisse, ita vt Græci libellum hunc, qui Cato inscribitur, in suam linguam verterint, & græcè nunc vulgo habeatur, eumque magnifaciant.

Quare in nonnullorum fortasse reprehensionem incidemus, quod disputationem hanc, in qua ipse tam ornatè, ac splendidè versatus fuit, suscipere nũc audeamus, quasi illum aliqua ex parte corrigere velimus. Cicero enim, vt satis notum est, omnia aduersus Senectutem maledicta, ad quatuor præcipuè causas redegit: quarum prima fuit, quòd auocet homines à rebus gerendis; altera, quòd corpus faciat infirmum; tertia, quòd priuet omnibus ferè voluptatibus; quarta, quod haud procul absit à morte.

Quibus

Quibus quidem obiectionibus sigillatim eum admirabili dicendi facundia, ac sententiarum varietate respondisse, in manibus quę omnium libellum hunc cum summa commendatione versari, perspicuum est.

De libro qui inscribitur Cato de Senectute.

ATTAMEN si ijdem veri amatores erunt, facile nos ab hac suspicione vindicabunt, fatebunturq; Ciceronem oratorio potius more, eximioque eloquentię flumine, quàm certis veritatis fundamentis, ac iustitiæ legibus, Senectutis causam egisse. Nam quod ad quatuor illa capita attinet, quorum patrocinium suscepit, certum est, alias, & fortasse grauiores contemnēdæ Senectutis ansas, quę in hore hominum versabantur comprehensas minime ab eo fuisse; pro vt ex ijs, quæ partim suparius dicta, partim inferius subijcientur, colligi poterit.

Atqui inuiti quidem facimus, dum hæc ipsa euoluimus, ne Catonis iudicio, quod summum in eo fuit, detrahere, aut mancam quodammodo, illius orationem arguere videamur. Attamē cum hoc, quic quid ab eo omissum fuit, à sæculi potius illius caligine, quæ omnium ferè oculos adhuc perstrinxerat, profluxerit, nondum splendoris luce omnibus patefacta; eo magis cōpellimur illustrandæ huius varitatis studio

per multa, quæ eam ætatem fugerunt, atque huic argumento plenius perſequendo neceſſaria videntur, depromere.

Quædam generalia de prioribus Gentilium opinionibus.

PRIVS verò quædam in vniuerſo, quod ad has gẽtilium opiniones attinet, explicanda videntur, vt quantum à veritatis ſcopo abfuerint, plenius dignoſcatur; & inde appareat, quid nos potiſſimum in hanc diſputationem de Senectute, neceſſario pertraxerit.

Ponendum igitur in primis illud eſt, neminem ex veteribus propriè articulum illum attigiſſe, qui nobis nunc præ manibus eſt. Nam cũ illud nos probare ſtudeamus, in Senectute bonum ſuapte natura in eſſe, quod alijs ætatibus non eſt commune, tantum abeſt, vt gentiles bonum hoc agnouerint, vt potius ferè omnes, de Senectute tanquam malis plurimis refertiſſima fuerint, locuti.

Ac vt omittamus priores illos, qui omnium ætatum gradus, hominumque ordines, ac vniuerſam naturam verbis penè execrati fuerunt, de quorum amentia ſatis ſupra dictum fuit.

Alij etiam, qui poſtea ſecuti ſunt, in ſolam Senectutem inuecti fuerunt, cum quicquid mali ferè, & aduerſi in hac vita poteſt contingere, in eam, tanquam in calamitatum receptaculum con-

congesserint; satis omnino ostenderunt, se quorundam delicatiorum more, nihil nisi iucundũ, & melle conditum posse admittere; contra verò aduersa omnia, & tristia illis infensa, & odiosa esse. Quo quidem quid absurdius, indigniusue dici potest? hi enim virtutem ex hominum comercio tollunt, quæ labore, patientia, vigilantia, aduersorumque tolerantia acquiritur. Vnde meritò Epicureorum, eiusque sequacium secta, iampridem à bonis, eruditisque omnibus explosa fuit.

Iam Vero quod spectat ad tertiam, quæ supra à nobis relata fuit, philosophorum sententiam, videmus eos id non egisse, vt Senectutis statum in aliquo pretio habendum esse suaderent; sed vt ostenderent sua non deesse subsidia, ac solatia illis malis, quibus Senectus conflictatur; vel potius, vt quicquid in hac humana vita varium, incertum, ac turbulentum solet emergere, illud vndecunque exurgat, siue a Senectute, siue à quocunque alio ætatis gradu prodeat, magno, & forti animo ferendum esse docerent; sensus fræno rationis cohibendos, ac humanæ insatiabilitati, ex qua molestiæ ferè omnes in hac vita oriuntur, moderationem esse constituendam.

Quapropter eos insipientiæ minimè damnamus, sed eorum dicta, rei quam præ manibus habemus, non ita proximè aptari posse censemus; cum nos de Senectutis statu hic tantum disquiramus, nec cæteras vitę conditiones, quod

illi faciũt, aut varietates examinare cõtẽdamus.

De Catone verò, tanto Senilis ætatis propugnatore, ac vindice, quid loquemur? qui cum vt traditum est, & diutissimè Senex fuisset, & in ipsa Senectute præ cęteris floruisset; ea deinde prudentia, & doctrina cum auctoritate coniuncta, argumentum hoc complexus fui, vt communi omnium plausu, illius sententia pridem excepta fuisse videatur.

Attamen si nos illius scopum consideremus, intelligemus, non id ei fuisse propositum, vt Senecturem tanquam proprijs fulgentem virtutibus, atque illustribus insignem ornamentis efferret, cunctisque optabilem esse ostenderet; sed potius, vt eam ab aliorum iniurijs, & maledictis tueretur; ac crimina, quę illi vulgo obijciuntur, aliqua ex parte saltem expurgaret.

Quare sicut apud Magistratus, non idem est, reum delatum, ab omni culpa, & scelere immunem sententijs Iudicum declarari; ac eundem iustum, sapientem, beneficium, præmioque dignum pronunciari, cum hęc valde diuersa sint: Sic Cato hanc iudicij partem, quæ tunc agebatur, vt Senectus à vulgaribus calumnij vindicaretur, fuit sanè (quãtum illa ferebant tempora) egregiè complexus; reliquum, quod ad illius dignitatem adstruendam, ac decus, & ornamenta eiusdem patefacienda pertinebat, tam paree tetigit, vt nihil fere, aut certe parum dixisse videatur; quam partem nos in præsentia cupimus Deo adiuuante, explicare.

Genti-

Gentilium errores de Senectute loquentium, vnde.

SED Vtinam etiam ea, quæ à Catone ipso, aut ab alijs ætatum istarum sapientibus, ad Senectutis damna mitiganda, seu ad obtrectationes retundendas tradita fuerunt, eiusmodi essent, quę validis rationibus, solidisque argumentis niterentur.

Quod non ideo à nobis quisquam dici interpretetur, ac si auctorum illorum existimationi, qui ingenio, & doctrina claruerunt, detractum velimus; sed potius, vt magna digni excusatione ostendantur, qui ea, quæ sæculo illi erant abscondita, minimè ipsi alijs prodere potuerunt. Quis enim exorto nondum iustitiæ, & veritatis sole, lucem cernere apertis etiam oculis vnquã valeat? Quis densa tenebrarum, & infidelitatis caligine circumseptus, non vbique cęcutiat, nõ semper hęreat? Quibusnam fundamentis illi de Senectutis ingraueſcentis molestijs disserere potuerunt, qui ętatis huius fugientis causam minimè agnouerunt? Quibus ipsi prędidijs, nisi superficie tenus, extremę huius ætatis difficultates, & angustias, mitigare potuerunt, qui humanæ naturæ primordia, qualia fuerint, quis progressus, quis finis sit expectandus, prorsus ignorarunt?

Quemadmodum igitur medicum ad curandos morbos adhibitum, eorum prius causas

perſcrutari, & cognoſcere oportet. cum ignorata ęgritudinis radice, plerunque fallacia, & periculoſa, imo etiam noxia, remedia miniſtrẽtur. Sic gentiles, humanarum calamitatum cauſas, & principia ignorantes, parum in re noſtra, ac ęteris omnibus proſpexiſſe, nemini mirum eſſe debet.

Propterea multa etiam à Catone dicta, quãuis magnificis verbis, præclaroque orationis ſplendore ſint exornata, non tamen neruos illos, aut robur habere certum eſt, quod a ſapiente viro, ac conſilij maturitate præſtante, fortaſſe erat expectandum. Multa enim de villarum amœnitate, agrorumque cultu, ad Senectutem recreandam eleganter diſputauit: quæ tamen non ſunt bona Senectutis, nec à Senectute, ſed aliunde proueniunt; Ideoque non ſolum Senectutis, ſed etiam reliquę ætatis moleſtias, demulcere interdum conſueuerunt: ſicuti & ambulationes, piſcationes, venationes, aucupia, & alia huiuſmodi oblectamenta: quæ non magis ſeniles, quam alias quaſcunque animi curas, & ſolicitudines relaxare, apta ſunt. Hæc enim nos moderate adhibita non repudiamus, ſed cur peculiariter Senectuti adſcribenda ſint, non videmus; cum nec Senes omnes ijs delectentur, veraque ſolatia Senectutis, ab ijs potius virtutum præſidijs, rectaque animi conſtitutione, quam ab externis huiuſmodi voluptatibus, oriantur.

Mirum autem nihil eſt, in hoc Senectutis argumento, veteres olim valde à ſemita aberaſſe:

cum

cum idem in alijs quoque disputationibus, *De summo bono, De contemnenda morte, De consolatione, De Dei prouidentia, de tolerando dolore*, alijsque huiusmodi argumentis, eis contigisse videamus. Quorum fundamenta, & rationes si in vnum cogas, vix quippiam ex ijs solidum, vix quicquam efficax, aut quod verè nostræ mentis sitim extinguere possit, vnquam licet exprimere. Cum enim rerum initia non tenerent, nec humanæ huius vitæ peregrinatione, siue exilium, cælestisque patriæ sedem agnoscerent, varijs errorum tenebris eos inuolui, necesse fuit. Quis enim de summo bono ducentas, & octogintaocto gentilium opiniones, olim colligi potuisse vnquam existimasset, nisi id Santus Augustinus ex Varrone apertè nobis retulisset [a]? Cum igitur ignorarent, ubi vera felicitas nitatur, & quibus gradibus ad eam perueniatur, mirum non est, ipsos in rebus grauissimis, sibique non planè perspectis; & quo tempore eam liceat adipisci, obcæcatos & plerunque deceptos fuisse.

Nam & quæ Cicero, *De contemnenda morte, De consolatione*, ac similibus quæstionibus, tanta dicẽdi copia persequutus est; scimus pridem ab eruditis viris, non satis probari [b]; vt ea, omittamus quæ idem Cicero scripsit, *Neminem alteri iniuriam iure inferre posse, nisi iniuria lacessitum*. Quibus duobus verbis rectè Lactantius admonuit [c], duas è mundo præstantissimas virtutes eum sustulisse, patientiam, et innocentiam

a S. Aug. de ciuit. Dei. lib. 19. c. 1.

b Luc. Viu. de uerit. fid. chr. lib. 5. c. de morte.

c Lacta lib. 6. de uero cult. cap. 18.

quæ maximè cernuntur in tolerandis iniurijs.

Præterea qui legit eosdem gentiles, bonam voluntatem virtutisque decus sibi ipsis, ac propijs viribus tantum abscribere solitos fuisse, prout Cotta affirmat, dicens: [a]: *Nam quis, quod bonus vir esset, gratias Dijs egit vnquam? at quod diues, quòd honoratur, quòd incolumis. Iouemque optimum maximum ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat; sed quod saluos, incolumes, opulentos, copiosos.* Et Scipionem ad legatum Antiochi Regis dixisse legimus [b]: *Ex ijs, quæ in Deorum immortalium potestate erant, ea habemus, quæ Dij dederunt: animos, qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus, gerimusque.* Et illud Poetæ:

Sed satis est orare Iouem, qui donat, & aufert.
Det vitam, det opes, æquum mi animum ipse parabo.

[a] Cic. de natura Deorum lib. 3.

[b] Liuius lib. 37.

Qui hæc legens, non eorum insciti am agnoscat? qui cum tantopere extollerent philosophiam, largitoris illius nullam haberent rationem? similes illis, vt ait Lactantius, qui offerentes laudibus cibum, & potum, sine quo viuere homines nequeunt, auctorem illorum, qui hæc alimenta creauit, prorsus negligerent.

Sed quid de Stoicis dicemus? qui propius ad veritatem accessisse, aliquibus visi fuerunt? Nã cum ijdem summum bonum in sola virtute collocarint, ostenderunt non solum quid summũ bonum sit, se ignorare; sed etiam finem cum officio confuderunt; cum aliud sit nauigatio, aliud

aliud portus, ad quem per nauigationem est perueniendum; aliud virtus quę certamen, & laborem exigit, aliud virtutis per præmium, quod bene pugnantibus decernitur.

Quid plura? cum eadem communis originis, & culpæ ignoratio, Philosophis, Oratoribus, Medicis, & alijs viris eruditissimis non solum in alijs rebus, verumetiam in his, quas oculis videmus, plerunque tenebras attulerit? Nam exempli causa, si ab ijs quæreres, cum omnia creata, ad fines suos perpetuò tendant, & cuncta animantia naturam suam, tanquam vitę ducem sequantur, veluti aues volando, pisces natando, atque equi currendo: quare hominis natura ratione prædita; non tamen ex rationis præscripto, munia sua agat? Sed si eius mores, & viuendi instituta obserues, nihil minus ab ea præstari videas, quàm quod rationi est consentaneum: & nihil magis, quàm quod virtutis dignitati aduersatur. Certe nondum hunc humana philosophia soluere minime nouit, illa namque omnia, quæ ex veteris calamitatis nostræ initijs profluxerunt, haudquaquam fuit essecuta: ex quibus tot, & tanta flagitia quotidie existunt, vt aliqui, hominem nō rerum humanarum dominum, & gubernatorem, sed miseriarum seruum, & incommodorum mancipium appellauerint [a]: eundemque scelerum luendorum causa, natum esse assirmauerint: quod totum ex imperitia profluxisse. vt ait Lactantius [b], non est dubitandum.

[a] Cicer. de consolat. ser. in princ.

[b] Lact. lib. 3. cap. 28.

Verum

Verum hæc obiter, & paulo fortaſſe fuſius, quam oportebat: quod à nobis factum fuit, non tantum vt abſurdiora nonnulla priſcorum temporum commenta attingeremus, ſed vt eorum etiam auctores aliqua ex parte dignos venia, ob communem ſæculorum caliginem, oſtenderemus.

Gentilium dicta de Senectute non inutilia fuiſſe.

NVNC vt in viam noſtram, atque ad Senectutẽ ipſam reuertamur, dicimus quãuis illi de eius incommodis multa fuerint philoſophati, & alij eam ab hominum calumnijs, & querimonijs liberare conati ſint; conſtat tamẽ, minimè id eos pro dignitate præſtare potuiſſe, nec debita Senectuti præſidia, ſeu ſolatia præbuiſſe; quoniam certam nulla rationem tenere valuerunt, cur Senium hoc, de quo agimus, quod quietis, conſolationisque portus eſſe deberet, maximè ob rerum humanarum experientiam, quæ ſolicitudines ſedare ſolet, innumeris tamen animi, & corporis languoribus obruatur.

Quid vero? fueruntne inania prorſus, atque inutilia, quæ gentiles de Senilibus calamitatibus illarumque ſubſidijs protulerunt? minimè vero. Sed ſicut inter medicinas, quædam ſunt imperfecte, quæ non omnino omnem vim mor-

morbi expellunt, proficiunt tamen ad prauos humores non nihil moderandos: alię ſunt, quæ radicem ægritudinis attingentes, eam euellunt, atque ſanitatem inducunt. Sic non negamus philoſophos multa non vulgaria, ac prudentibuc viris digna, dictante rationis lumine, protuliſſe; ſed quæ nullatenus eas eximant difficultates, ac ſolicitudines, quibus Chriſtianum hominem in vita, ad eas depellendas inſtructum eſſe oportet: etſi eiſdem mitigandis plurimum prodeſſe quandoque poſſint.

Quod autem ijdem plene omnia non fuerint aſſequuti, multæ rationes à ſacris Theologis adduci ſolent; ſed vna hæc inſtar ſit omniũ, quæ in fine humanæ vitæ conſtituendo, illos à nobis valde diſſidentes oſtendit. Illi enim, vt ſupra etiam tetigimus, aut in virtute animi, quam à ſola facultate arbitrij noſtri falſo pendere dicunt, finem ipſum, nempe felicitatem, ſitam arbitrantur; aut cum hac robur corporis, pulchritudinem, progenitorum claritatem, & fortunæ, quod aiunt, bona coniungunt. Nos Nihil rerum humanarum magnopere ſuſpicimus, ſed ſublimiori ſpe elati, ad ipſam rarum diuinarum contemplationem, & amorem tranſcendimus; in quibus fidei lumine illuſtrati, certo ſcimus, vitam vere beatam conſiſtere. Qua poſita finium differentia, quis mirabitur, media quæ ad illos comparandus vtriſque propoſita ſunt, Philoſophis ſcilicet, & nobis, late inter ſeſe diffidere: noſtraque tanto perfectiora, & excellentiora eſſe, quan-

quanto diuinior est rerum cælestium sempiterna fruitio, quam humanarum fluxa, & momentanea possessio, in qua sicut in imagine pertransit homo?

Quare, quæ ad Senectutis nostræ incommoda leuanda illi nobis remedia attulerunt, quamuis ex omni parte id præstare non valuerint, quippe quæ ad verum humanę felicitatis finem minimè dirigantur. Quoniam tamen aliquem nobis aditum, ad Senectutis Bonum adipiscendum præbuerunt, non sunt à viris Christianis repudianda; sed in vsum proprium, quoad eius fieri poterit transferenda; ac reliqua, quę illis defuerunt, & sine quibus otiosa penè omnia redderentur, curandum à nobis, vt ex Christianæ disciplinæ documentis suppleantur. Quod in sequentibus partibus efficere (Deo adiuuante conabimur.

FINIS PRIMAE PARTIS.

ALEXANDER PP VI VALENTINVS FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONVM

GABRIEL-

GABRIELIS PALEOTI S. R. E. CARDINALIS.

De Bono Senectutis.

PARS SECVNDA.

Vnde Senectus, & languor in homine.

NVNC Igitur, partem alteram aggredientes, quę nobis initio propoſita fuit; vt ſcilicet Bonum Senectutis, interioribus veluti cancellis incluſum proferamus, paulo altius totum hoc argumentum repetendum eſſe duximus, ad rem clarius explicandam.

Ac primum ab ipſa Senectutis, eiuſque imbecillitatis origine, & totius declinatis, ac langueſcentis ætatis cauſa, exordiemur Nam qui ſecum

cum cogitat, hominem initio ad Dei imaginẽ, & ſimilitudinem procreatam, ac paulominus ab Angelis diminutum, gloria & honore coronatum, & conſtitutum ſuper opera manuum Domini extitiſſe; & videt deinde, hiſce anguſtis vitæ ſpatijs eum concludi, tanta circundari fragilitate, breui annorum curſu inueteraſcere, & conſumi; ac periculis vndiq. ita circumueniri, vt in ſingula propè temporis momenta, expectare interitum, & inopinatos deflere caſus, naturæ eius conditio quodammodo compellat: non poteſt non admirari vehementer, in tam præclaro opere, tot triſtia, lamentabiliaque ſubeſſe.

Quemadmodum enim ſi Architectus, magnificum, ac ſublime palatium extrueret, fundamentis haudquaquam firmis, ac murorum cõmiſſuris parum ad ſtabilitatem aptis; facile fieret, vt vel leui terræmotu concuſſum, vel vi ventorum quaſſatum, rimas agçret, aut mìnaretur ruinam, non ſine eorum admiratione, atque dolore, qui opus tam inſigne; tantoque exædificatum artificio, tam facile ruiturũ cernerẽt? Sic in hominis fabrica, & opificio rerũ omniũ humanarũ prçſtãtiſſimo, qui illud videt tã caducũ tã fragile, & tot mutationibus, ac periculis expoſitum; cçrtè vix poterit, ſi hæc omnia attenta cogitatione percurrerit, ipſas lecrymas continere. Sed vt non damnantur lacrymç, & improbatur mœror: ſic nemo pius, aut ſapiens ferre vnquã iure queat nefarias voces, atque inſana maledicta,

cta, quæ non minus inique, quam falso, hac de causa, in ipsius humanæ naturæ parentem, non nulli perditi homines conijcere solent.

Igitur ad hæc, & alia quæcunque absurda euellenda, quæ in hoc genere possent humanæ menti sese obijcere; necesse est ad certa sacrarũ literarum fundamenta recurrere, quæ omnem rei originem, ac progressum patefaciunt. Docét enim hominem initio non omnino caducum & imbecillum, nec etiam natura sua incorruptibilem, aut immortalem procreatum fuisse; quippe qui ex limo terræ, cuius proprium est putrescere, & dissolui, ac ex finitis, & contrarijs elementorum qualitatibus conditus fuerant, Verum superna Dei gratia, ac extraordinario iustitiæ originalis fuisse munitum priuilegio, quo ille fideliter vtens, si in Dei obedientiam perseueraſſet, nunquam mortem fuisset expertus [a].

[a] S. Tho. in 1. q. 94. art. 1. & art. 4. vbi Caiet.

Quod homo semper aliquibus cibis indiguerit.

Sed Vt Hęc intelligantur, oportet rem altius repetere. Constat, vt omnibus patet, homo ipse ex animo, & corpore; corpus autem, cum ad sui conseruationem necessario cibis indigeat non poterat ille quidem esca naturali vtens, vilam perpetuo producere. Nam cum calor naturalis, qui est animę instrumentum, humidum radicale quotidie absumat, quamuis hæc diminutio

nutio, aliorum ciborum ſumptione ſoleat inſtaurari; non tamen poteſt illa vſquequaque redintegrari, quin aliquid de illius robore depereat, & humidum illud paulatim decreſcat; vnde vires langueſcere, et Senectus ſubrepere, poſt certam ætatem ſolet.

Accedit, quod cum virtus, quę dicitur actiua ſpeciei, eſt adiunctione rei extraneæ ſemper debilitari ſoleat; ſicuti ex aqua adiuncta vino, diminuitur vini robur, pro vt plus, aut minus ei infunditur, ita vt tandem vinum ad aquam proxime accedat, quod viribus omnino caret, Neceſſe fuiſſet homini ob naturæ propriæ vim, vitæ decrementa paulatim ſentire, ac diſſolutionem corporis tandem experiri.

[a] Ariſt. 1. de generat. sex. 34. et 39.

Hanc itaque imbecillitatem nullus naturalis cibus, nullum humanum præſidium ſarcire perfectè poterat. Vnde Ariſtoteles [b], irridens Heſiodum, & alios eius ætatis philoſophos, dicentes, eos qui guſtarent ambroſiam, & nectar, fieri immortales; ait, hoc nullo pacto effici poſſe; nam quod cibo indiget, ſuapte natura eſt ſolubile, & mortale.

[b] Ariſt. Metaph. lib. 3. text. 1.

De ligno vitæ, & ligno ſcientiæ Boni & mali.

DEVS Igitur, vt huic hominis imbicillitati conſuleret, illum in Paradiſo voluptatis collocauit; in quo vt maximam reliquarum arborum

arborum multitudinem omittam, duæ erant pulcherrimæ: altera, quæ vitæ propagandæ vim habebat, cuius fructu hominem vesci posse voluit: altera, quę scientia boni, & mali dicebatur, à cuius fructu eundem abstinere iussit, vt ex verbis illis patet: *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas: in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Ex quibus verbis constat, vltra virtutem supernaturalem, tunc animæ impressam, ad conseruandum corpus ab omni corruptione & interitu, concessum etiam fuisse homini, vesci fructu [a] arboris vitæ, ad vitam producédam: quod docet egregiè Sanctus Augustinus, cuius hæc sunt verba, [b] *Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore, illas molestias vllis eius sensibus ingerebat: nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus: summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas.*

a S. Tho. 1. q. 97. ar. 4. vbi Caiet.
b S. Aug. de ciuit Dei lib. 14. c. 26.

Cum autem homo superbè legem sibi præscriptam violasset, fructumque vetitum comedisset, grauissimi criminis reus merito à Deo damnatus fuit; *Maledicta* inquit, [c] *terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas, & tribulos germinabit tibi: & comedes herbas terræ: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

c Gen. 3.

Ex primi parentis noxa multiplicia in homine mala deriuaſſe.

ITAQVE ex hac præuaricatione non ſolum ſanctitas, & iuſtitia originalis, in qua conſtitutus fuerat homo, amiſſa fuit: ſed etiam ira, & Dei indignatio aduerſus eundem prouocata, [a] proindeque perturbationes, & aliæ calamitates, quę à Theologis, *pœnalitates* vocãtur, [b] acriter concitatę: & pręſertim humorum inæqualitas, caloris natiui debilitas, humidi radicalis conſumptio, virium languor, infirmitates, Senectutis imbecillitas, & mors denique ipſa ſubſequuta eſt. [c] Sicuti enim arce hoſtibus prodita, tota Ciuitas motu, & perturbationibus agitatur, atque in captiuitatem tandem redigitur: ſic mente hominis à Deo per præuaricationem præcepti alienata, inferiora omnia tumultuari, & quaſi perfidiam hominis furore ſuo vindicare permiſſa fuerunt. [d] Hæc enim hominem in ſtatu illo feliciſſimo poſitum, minime læſiſſent, nec ante legem violatam, mors vllo modo ſuam vim oſtendiſſet, quia *Deus*, vt in Sapientia legitur, *mortem non fecit, ſed inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* [e] Vnde & Apoſtolus ait: *Sicut per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* [f] Et Sanctus Auguſtinus: *Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret,*

a Concil Trid ſeſſ 5. circa princ.
b S. Tho. in 3 par. q. 14.
c S. Aug. lib. 14 de Ciui Dei c. 25. Cõc. Trid ſeſſ. 5. c. 1. & Catechiſ. Rom. in ſymb. art. 2. S. Tho 1 2. q. 5. ar. 1. & q. 97. art. 1.
d Celeſt. 1. epi. 1. c. 4. Conc. Auriſic. c. 1.
e Sapien. c. 1. & 2. ſad Ro. c. 5.

caret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi auctor esset ad vitam, aut ad mortem [a].

HAEC cum ita se habeāt, quæret fortasse aliquis, quomodo nos commentarium hunc nostrum, De Bono Senectutis inscribamus; cū Senectutis imbecillitas, & flaccescentis huius ætatis origo, & cætera quæ illam comitantur incommoda, ex priori illa culpa profluxerint, quæ non Bonum Senectutis, sed malum potius necessario ostendunt.

[a] lib. 9. vet. & nou. test. q. 19.

Bonum quo sensu hic accipiendum.

ITAQVE Locus videtur necessario postulare, vt ante omnia declaretur, quo sensu, Bonum, accipiamus: deinde etiam, quid Senectutis vocabulo significemus: & simul quomodo, hoc nomen Bonum, cum Senectute coniungatur.

Atqui hoc nomen Bonum, cuius contrariū est malum, cum latissimè pateat [b]: nosque superius in prima huius operis parte veterum Gentilium opiniones retulerimus, cum illæ ad rem nostram parum perrinere videantur; nunc tantum, quo sensu à nobis, Bonum, accipiatur, ex Theologorum sententia, qui hac in re cum meliori Philosophorum Schola consentiunt, breuiter explicabimus.

[b] S. Tho. 1.2.q.18. art.2. & seq.

Ab Illis igitur generatim hoc traditum est, Bonum, id vniuscuiusque rei censeri, & appellari, quod ei conuenit, secundum suam formam

mam; & Malum, quod est præter ordinem siue formæ [a].

[a] S. Tho. 1.2.q.18. art. 5. in resp.

Hincque dixerunt, quando vtrumque hoc nomen, ad hominis actiones refertur, tunc considerandum esse pro vt hominis formę, quòad debitam operationem, conuenit, quæ est ratio, seu vsus rationis [b]: ita vt Bonum dicatur hominis, quod est secundum vsum rationis: Malum autem, quod est præter rationem [c]: quod alias peccatum, seu culpa appellatur.

[b] S. Tho. 2. 2. q. 123. ar. 1. & q. 129. art. 3. & 141 art. 1.

Et Si quis diceret, quonam modo nos Bonum hoc Senectuti tribuere velimus, cum certum sit, si eius statum, & conditionem ex rationis perfectione, & vsu ęstimamus: tantum abesse, vt hoc Bonum quod asseueramus, Senectuti congruat, vt ob illius ætatis languorem, & imbecillitatem, non minus in animo vis mentis, atque rationis obtorpescat, quam in corpore vires, & robur debilitantur, atque langueſcunt.

[c] S. Dion. de diuin. nomin. c. 4. & San. Tho. in 1. q. 48 art. 3.

Senectutis nomen quo sensu in hoc libro accipiendum.

VT Nunc Nodum dissoluamus, res postulare videtur, vt quo sensu etiam Senectutis nomen in hoc commentario sit accipiendū breuiter explicemus: cum certum sit iam antea de industria, nos huiusmodi controuersiam, in hunc locum reseruasse [a].

[a] Sup. in 1. parte.

Quoniam autē hac ipsa explicatione, huius com-

commentarij fundamentum maxime nititur, operę pretium erit, ne nostra vagari cogatur oratio, prius certam aliquam Senis, de quo agimus, formam describere; vt ex ea, quid nobis in hac disputatione propositum sit, apertè constet. Sicuti enim qui de Rege, de præfecto militum, de Oratore, de patrefamilias, alijsque huiusmodi muneribus scripserunt, id in primis ante oculos habuisse videntur, vt perfectam aliquam exercendæ illius administrationis regulam, exprimerent. Siue etiam qui de rebus, quæ natura, aut arte constant, veluti de stellis, de metallis, de planteis, de musica, de historia, & alijs huiusmodi rebus, disserere statuerunt: cum varia sint metallorum, stirpium, & historiarum genera; ante omnia explicare contendunt, cuiusmodi illud sit, ex propria eius natura, de quo sunt loquuturi.

Sic cum nos, de Bono Senectutis disputationem fuerimus aggressi, quod argumentum per pauci hactenus attigerunt: cumque præterea in Senibus multa æquè concurrere, multa item in quibusdam desiderari, alia probari, alia improbari soleant, fortasse non esset alienum à nostro instituto, de quo Senum genere sit hæc nostra disputatio, statim à principio significare, & ea quæ Senibus ad hoc Bonum obtinendũ sunt necessaria, summatim saltem attingere, & deniq; aliqua ex parte, quam animo concepimus, Senectutis imaginem verbis exprimere.

Non posse certam senili statui regulam constitui, & quare.

VERVM animaduertendum est, cum totam hanc disputationem cum multis viris magna eruditione, & prudentia præditis, interdum communicauerimus, in eandem omnes sententiam veniſſe; non posse eadem methodo, seu regulis, aut rationibus, quibus cætera solent, restringi & absolui; nec certum vllum statum Senis alicuius à nobis præfiniri, ad quem præcipuè orationis nostræ cursus sit dirigendus.

Nam cum nos de Bono Senectutis, ex Christiane disciplinæ regulis agere profitcamur, quę omnium personarum status æquè complectitur, diuites, & pauperes, Principes, & plebeios, ciues, & peregrinos, Pontifices, & reliquos sacerdotes; sanè non potest certus aliquis omnibùs Senibus status, in tanta varietate constitui: nec perfectæ Senectutis vna aliqua imago effor mari, præter illam, quam paulopost discribere conabimur. Cum enim Deus non respiciat personas more hominum, & hoc Bonum de quo agimus, sit quoddam ipsius immensæ liberalitatis donum; certè omnibus tam Græcis, quàm Barbaris, tam liberis, quam seruis, omnibus denique, *qui*, vt ait Apostolus *inuocant nomen illius*, cum ad hanc ætatem perueniunt, dummodo ipsi, vt par est, se comparent, hoc singulare beneficium, benignissimè largietur.

Illud præterea animaduertendum est: licet

veteres

veteres Philosophi, & Medici, qui Senectuti aliquid tribuunt, de ea senserint, quæ corporis viribus constat, operamque suam & publicè, & priuatim alijs præstare potest; id tamen longe à Christiane disciplinæ pietate differre, quæ non Senes tantum corpore validos, sed alios etiam membris languidos, & in lecto iacentes, dummodo mente erga Deum valeant, tantum abest, vt contemnat, vt eos æquę, atque alios, qui robustiores sunt, complectatur. Ipse enim Senex, licet pedem è lecto efferre nequeat; certè legendo, meditando, orando, docēdo, & denique suas oēs cogitationes in res diuinas transferendo, multum sibi, & alijs prodesse, ac Senectutis Bono feliciter perfrui potest; quod ex verbis prophetæ constat[a]: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Quæ verba ad omnes ætates pertinent. [a] Ps. 146.

Accendit etiam, quòd in Senectute, quædam ex propria declinantis ætatis vi, ac natura, vt plurimum spectantur, veluti imbecillitas, pallor, tarditas gressus, oculorum hebetudo: quædam extrinsecus adsumpta comperiuntur, ex alijs, atque alijs præcedentibus morbis, seu fortuitis casibus contracta, quę non omnibus equè conueniunt: ideoque sigillatim ista persequi, longum nimis, ac molestum esset negocium. Et propterea, quod in alijs argumentis pertractandis, in quibus, de munerib. gerendis, siue de ijs rebus

differẽdis, quæ sui s sunt finibus circumscriptæ, ac proprijs conditionibus constant, non ad modum difficille videri potest: in hac Senectutis disputatione, difficilimũ esse patet, ac exitu ferè carens deprehenderetur.

Vnde mirum neminiesse debebit, si nos subtilioribus auctorum concertationibus, de Senectutis nomine prætermissis, ea contenti erimus explicatione, quæ vniuerso Senili ordini clarior, & manifestior esse poterit; nimirum, Senectutem eam nos interpretari, simpliciore quodam sensu, quæ communi ciuium appellatione, ac vulgari populi iudicio, ex aspectu [a], colore, imbecillitate, ac corporis motu, talis nominari, talisque haberi solet; sicuti etiam minor ætas, ex ex aspectu quãdoque estimatur [b]; non multum referre existimates, quod ad rem nostram attinet, an aliquid plus, aut minus possint non nulli inter se discrepare, in æstimanda alicuius Senis ætate, quæ verè talis non sit: cum hæc, arbitrij plerumque sint, nec inter omnes facile conueniant [c].

Illud etiam addimus, cum de Senectutis Bono loquimur, eam latè, atque indistincte nos accipere, tam scilicet illam, quæ validis adhũc corporis viribus constet: quàm eam, quę debilitari, & hebescere incipiat: & denique illam etiam, quæ effætum corpus, & eneruatum reddiderit, dummodo mentis acie vigeat, atque ratione, & iudicio minime destituatur.

[a] Bart. l. 2 c. de mẽd. libro xi. Angel. in Auth. de quæs in fi. Felin. ca. quoniãm lite non cõt. quæs 2 b l. minor 25. annis adiso Præside. de mino 25. an. c 10 And. Abb. & alij c. quoniam. vt lit. nõ con test. in 3. questione

Sene-

Senectutis bonum etiam ad senes languentes pertinere.

QVOD si forte alicui durius videatur, Bonum hoc, quod senectuti deferimus, ad eam etiã Senectutẽ pertinere, cuius vires sint confectę, membra languentia, totumque corpus adeo afflictum, vt Senem nec pedem foris efferre, nec etiam è cubili descendere valeat.

Respondemus hoc Christianæ charitatis, ac beneficentiæ munus esse, quę hominis affectum; alacremque voluntatem instar operis excipit, vbi homo, si vires illi suppeterent, paratus est, id verè, & ex animo adimplere.

Hincque receptum est à Sacris Theologis, bonitatem, & malitiam, primum ac præcipue in actu interiore reperiri, à quo deinde exterioris actus bonitas, & malitia pendet [a], tanquam in vsum, & executionem interioris illius præcedentis. Vnde apud Oseam legitur [b]: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Et Saluator noster dicit [c]. *Ex corde exeunt adulteria, homicidia, furta,* & alia huiusmodi facinora.

Quare cum decumbens, & languens in lecto, multa admodum salutaria, tum cogitatione voluere, tum etiam in alios, suis hortationibus, consilijs; precibus, varijsque alijs auxilijs conferre possit, ac patientiæ, mansuetudinis, charitatisque exempla præbere; non est, quòd quisquam tempus hoc, tanquam Seni inutile, aut otiosum,

[a] S.Th.1.2.q.20.ar 1.& 2. & Medin.ibidem.ar.1. infra.
[b] Ose.c.9.
[c] S.Matt. c.15.

otiosum, siue iners velit ad scribere: dummodo ipse, animi vires, quæ incolumes ei supersunt, piè, ac salubriter velit exercere; cum nullum Christiano homini theatrum, conscientia probe informata maius, aut excelsius sit propositum.

Quo in genere præter alia multa pietatis opera, quæ in lecto iacentes, erga familiam, consanguineos, propinquos, vicinos aliosque ciues præstare facile possunt: memorabile est illud exemplũ, quod de Abbate Paulo refert Cassianus [a]: qui cum tanta esset omnium membrorum debilitate constrictus, vt nulli in eo artus viuacem motum, aut sensibilem retinerent; nihilominus tanta virtutum copia, ob ingentem à Deo elargitam illi gratiam, abundabat in eo, vt cum infirmi vngerentur oleo, quod eius corpus, cadauer potius dixeris, contigisset, confestim, ipsis etiam infidelibus admirantibus, cunctis morbis liberarentur.

[a] Cassian. collat. 7. c. 26. in fin.

Ex quibus videmus, languorem corporis, ac imbecillitatem, (nisi immodica sit, quæ sensus planè alienet) non impedire multos pietatis fructus, qui etiam ab infirmo corpore possunt proficisci.

Itaque licet Senecturem consideremus, quæ extremos annos attingat, adhuc videbimus quã plures homines etiam Ethnicos, in ætate ea constituros, quos refert Sanctus Hieronymus [b], magnam vtilitatem docendo, scribendo, aliaque salutaria obeundo, cæteris attulisse: vt de Platone

[b] S. Hier. Epist. 2. ad Nepotiã.

vna

vno & octoginta annos nato, & de Isocrate nonaginta nouen annos agente, prætet Pythagoram, Democritum, Xenocratem, & alios longæua ætate confectos legimus, qui in sapientiæ studijs, eo ipso tempore, præclarè versari fuerunt.

Imo licet morbum cum Senectute congiungamus, adhuc tamen Sanctorum, & aliorum moltorum exempla non deesse scimus; qui ita affecti, pręclara multa ingenij, & sanctitatis monumenta posteris relinquerunt, quemadmodũ de Sancto Gregorio Summo Pontifice compertum est, quem morbo laborantem, atque in lecto iacentem, pulcherrima volumina dictasse scimus, tum etiam Sanctum Gregorium Naziãzenum, quem nonaginta amplius annos vixisse scribit Suidas, & cum Eulalium Nazianzi Episcopum constituisset, ipse infirmitate pressus, Arianzi quiescens scribendis versibus animum adiecit, vt in eius vita legitur a: item Sanctum Augustinum, paulo antè, quàm expiraret, libros pariter dictasse, correxisse, et retractasse meminit Possidonius b.

Quod quidem & alios multos Sanctos Patres præstitisse constat, qui cum extrema essent ætate, atque omnibus corporis viribus, ieiunio, vigilijs, laboribus, ac morbis ferè exhausti; nunquam tamen meditationum, orationum, atque operum pietatis exercitationes intermisisse Palladius, Climacus, Theodoretus, & alij memoriæ prodiderunt; Imo ex morbo ipso, & membrorum

a In vita S. Nazianzeni propè finem.

b Possidõ. in vita S. Aug. propè finem.

brorum inualiditate, eo maiorem ad Deum laudandum, & proximos iuuandos, ſpiritum hauſiſſe Sanctus Nazianzenus in præclaro illo, *in Morbum*, ſermone, abunde teſtatur.

Errare illos qui citra Corporis Sanitatem nihil Senectuti Tribuunt.

HINCQVE non poſſumus Sententiam quandam magnorum, licet virorum, generaliter fortè nimis prolatam, vſquequaque probare, qui dixerunt, citra corporis ſanitatem, nullũ in vita alicuius rei fructum, aut voluptatem exiſtere a; niſi de ea corporis ægritudine ſenſerint, quæ animi vires prorſus impediat.

a Hippocr. li 6. de ſa lub. diet. Plato l. 1. & 2. de leg. Galē. li. 1. de ſanitate. Amd. c. 3

Neque etiam Catonis opinio firma videtur, qui dixit, in ſumma inopia leuem eſſe ſenectutem non poſſe, nec ſapienti quidem. Nam ille vero orbatus lumine, non potuit magna paupertatis patienter ſuſceptæ ornamenta agnoſcere; neque illud etiam verum eſt, quod affirmauit, quando nullum officij munus Senes exequi poſſunt, non proprium id Senectutis vitium eſſe habendum, ſed commune valetudinis; & ideo tanquam contra morbum, ſic pugnandum contra Senectutem b. Nam hæc ratio, Senectutis laudes ad nimias angũſtias redigit, ſi à Senectutis ſtatu, totum id tempus ſit excludendum, quod propter languorem corporis, Senex ab officijs arcetur, cum pauci admodũ ſint, qui aliquibus corporis incommodis, in hac ætate non vexentur.

b Cato apud Cic. de ſenectute.

tur; & pauciſſimi, qui cum Catone annos octoginta quatuor nato, dicere poſſint; *Non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non clientes, non hoſpites. Adſum amicis, venio in Senatum frequens, vltroque offero res multum, & diu cogitatas.*

Quanto benignius Chriſtiana pietas cum Senibus agit? quæ etiam viribus eneruatos, & corpore confectos, dum mente vigeant, à magnis Senectutis bonis, & fructibus minimè excludit? dicens cum Apoſtolo[a]; *Cum infirmor, tunc fortior ſum: & virtus in infirmitate perficitur.*

a 2. Cor. cap. 12.

QVAPROPTER cum de Bono Senectutis in præſenti agamus, congruam etiam rationem vniuerſæ ſenilis ætatis habere, nobis eſt propoſitum, cuiuſcunque ſit gradus, & ad quodcunque ſi æui ſpatium prouecta, quatenus tamen mens ſit integra, atque in Deum aſſurgere valeant.

Nam quemadmodum videmus, non omnes homines etiam conſtante ætate, ijſdem virtutibus exercendis æquales eſſe. Sic in Senectutis ſtadio id molto magis accidere certum eſt, in quo alij ad hoc, alij ad aliud Senectutis bonum perfruendum aptiores erunt; nec hoc etiam perpetuo, ſed quandoque vno, interdum aliò tempore id ſuccedere. Imo con eundem ipſum Senem non vbique ſemper ſibi ipſi ſimilem eſſe videamus, propterea nemo mirabitur, certam nullam hac de re poſſe regulam conſtitui.

Exem-

Exempla longis Simarum ætatum.

SIcvti etiam nec ad exempla quædam memorabilia singulariter descendendum fuisse duximus, eorum scilicet, quorum viridis Senectus appellata fuit, prout de Caleb scribitur [a], qui dicebat: *Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum*. Et de Cyro apud Xenophontem [b], qui cum admodum Senex esset, negabat se vnquam sensisse Senectutem suam imbecilliorem factam, quàm adolescentia fuisset. Itemque de alijs, qui extrema adhuc ætate, longissimo annorum cursu perfuncti, munia publica, grauesque labores, magna populorum admiratione, obierunt.

[a] *Iosue. c. 14.*

[b] *Xenoph. de ped. Cyr. li. 8.*

Nam cum hęc ab auctoribus multis, tum veteribus, tum recentioribus sint commemorata [c], nec eadem quocunque loco; aut cuicunque Seni, imo paucissimi succedant, visum fuit nobis, in his non esse immorandum quoniam sicuti certum est, his largiorem campum fruendi bono Senectutis, à Deo tributum fuisse; sic nollemus quemq uam fortè, cui imbecilla nimis, aut extrema Senectus contingit, viribus suis diffidere, cum latè vniuersis ad hos Senectutis thesauro percipiendos, dummodo alacrem voluntatem, ac studium pro sua conditione adhibeant, aditus Deo iuuante; patere possit.

[c] *Plin. li. 7 cap. 48. Valer. Max. li. 8. c. 14. de Senectute, & Fulgosius lib. 8. cap. 14 Ignat. de Senect.*

Boni nomen cur magis Senetuti Quam alij Aetatibus sit deferendum.

CVM IGITVR tum Boni nomen, quo pacto sumenpum sit, explicauerimus; afferenda in præsenti videtur ratio, cur hoc nomen Bonum, huic Senili ætati potius, quam alijs, deferendum esse iudicemus. Nam vt ait Sanctus Chrysostomus [a], non ideo hoc fit, quia quod simpliciter vetus est, id statim dignum laude censeatur; sed ratione habita ad res subiectas. Siquidem videmus in scriptura aliquando quidem vetera celebrari, magis quàm noua: & aliquando etiam noua veteribus anteponi, vt inter alia scribitur in Ecclesiastico [b]: *Vinum nouum, amicus nouus veterascet, & cum suauitate bibes illud.* Et alibi, quod vetus est vituperat, ait enim [c]: *Inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Et rursus [d]: *Inueterate dierum malorum.* Sic vetus fermentum, & vetustæ seruitutis iugum damnat. Ita quod vetus, & nouum, pro rei, de qua agitur, varietate, dijudicatur. Pari ratione Senectutem non ita singulariter laudamus, vt iuuentutem omnino culpemus. Nam *multi*, vt ait Sanctus Chrysostomus [e]; *in inuentute philosophiam ostenderunt, & in Senectute lapsi sunt.* Tres pueri, Sidrac, Misac, & Abdenago, quia virtute sibi, benè viuendo, à cœlo aquisierunt, flammas in roremconuerterunt. Et Daniel, cum esset duodecim annorum, leonum rabiem, in ouium mansuetu-

[a] S. Ioan. Chrisost. hom. 15. in Epist. 2 ad 1 Cor.

[b] Eccl. c. 9

[c] Psal. 17

[d] Daniel. 13.

[e] Hom. 22 in Ps. 50.

ſuetudinem commutauit, & ferociam illorum fide fregit.

Neque enim iuuenem culpes, nec collaudes Senem; quia virtus, ac malitia non indifferentia ætatis cognoſcitur, ſed in differentia mentis. Nam negligenti Senectus nihil prodeſt, quæ quidem capillos non canitie comptos, ſed ſapientia candidos requirit.

Nos igitur, cum Senectuti Bonum attribuimus, non ideo alijs ætatibus ſua bona tum animi, tũ corporis detrahimus, nec Senectuté omnibus vndique ornamentis cumulatam eſſe exiſtimamus; cum illam pro humana fragilitate, nõ leuibus præſidijs indigere conſtet: ſed appellamus Bonum Senectutis (vt dicunt Theologi) ſecundum quid, habita ſcilicet ratione aliarum humanæ vitæ partium, infantiæ pueritię, iuuentutis, & conſtantis ętatis. Si enim Senectus cum reliquis conferatur, non ſolum illam paucioribus implicitam culpis, verum etiam pluribus affluentem dõnis cenſemus, quibus ad omne virtutum genus promptius, & facilius quàm aliæ ætates, poteſt aſpirare. Quod & Euripides Poeta carminibus illis attigit, cum dixit [b].

[a] S.Th. 1. 2. q. 111. art. 10.

[b] Eurip. in Phœnis.

Non prorſus omnibus grauis premitur malis
Fili Senectus: huic temporis longinquitas
Tribuit experientiam: acrior hinc Senum
Quàm iuniorum, orationis eſt vigor.

Quare ex his, & alij infra dicendis, Senectutem, cæteris paribus, inter alios omnes ætatum gradus eminere, primumque locum obtinere iudicamus.

Hoc

Hoc autem licet per multis rationibus, argumentis, atque auctoritatibus ostendi possit; existimauimus tamen sufficere in præsenti, hoc ipsum, tanquam præludij loco præcipuis aliquot; ac quodammodo naturalibus Senectutis proprietatibus, & dotibus declarare. Vt vero apertius ea, quę dicenda sunt explicentur, visum fuit, Senectutem ipsam similitudine quadam tanquam arborem humanæ vitæ proferre, quæ altis virtutum radicibus, ac quinque præcipuè innixa, sursumque procero fortitudinis stipite erecta, ac ramis clararum actionum, tanquam validis brachijs diffusa, tempestiuos quotidie, atque vberes disciplinæ, morum, atque exemplorum fructus emittat. Quos fructus explicandos n extrema huius operis parte reseruamus, inunc enim radices tantum attingimus.

Prima radix Senilis boni, quod minus vexatur perturbationibus.

PRIMVM igitur fundamentum, ac veluti radix huius Senilis Boni, ea est, quod cum innumera, quæ quotidie grassari in mundo, mala, videmus, ex immoderati sensuum perturbationibus, ac turbulentis animorum motibus, vt plurimum oriantur; perspicuum est, has concitationes, non æque in ipsa Senectute, ac in alijs ętatibus efferuescere; imo prauos istos affectus, longe in Senibus, quàm in cęteris, mitiores ac remissiores esse.

Quantum autem ex hac parte Senectus reliquis ætatibus excellat, facile quiuis cernere poteſt, ſi conijt oculos in calamitates, excidia, atque alias orbis clades, quibus omnia ſurſum, ac deorſum voluũtur, quæ cũcta ex turbidis hiſce concupiſcentiæ fontibus profluunt.

Plenæ ſunt Græcorum, & Latinorum hiſtoriæ, in quibus nihil frequentius, quam Regnorum euerſiones, Ciuitatum ſeditiones, populorum captiuitates, grauiſſimæq; miſeriæ recenſentur; quæ ex immodica voluptatis libidine, indomita vlciſcendi rabie, praua intemperantia, nefariaque omnis generis licentia, humanum genus in funeſtas calamitates, atque exitia pertraxerunt.

Nã de Imperatoribus, Regibus, ac Principibus, qui per ſummam inſolentiam, ac perfidiam in alios ſibi poteſtatem arrogauerunt; vnde nefarias cædes, agrorum vaſtationes, proditiones, & omne ſęuitię, ac crudelitatis genus exercuerunt, quid opus eſt dicere? cum illorum vitæ, quæ apud grauiſſimos auctores Suetonium, Tacitum, Herodianum, alioſque leguntur, hæc plenißime omnibus, non ſine ſtupore, teſtata relinquant?

Deinde homo, cum ad imaginem Dei factus, ac rationis munere inſignitus, ob id pręcipuè in hanc lucem ſuſceptus fuerit, vt veluti Princeps mundi, hanc orbis fabricam incoleret, animantibus omnibus præeſſet, conſilioque & charitatis officijs, vniuerſum genus humanum moderare-

tur,

tur, ac quasi placidissimi imperij vinculis constrictum teneret, ac gubernaret; ecce iustitia primigenia labefactata, & exortis hisce turbulentis agitationibus, confestim societate ista, tanquam ventorum inter se pugnantium procellis disiecta, cœpit inuidia, atque odio in fratres, in ciues; in omnes incendi, ijs insidias moliri, & hostilia inferre arma, ac miserandis ærumnis, vniuersum humanum genus conturbare.

Quæ quidem, vt notum est, ab originalis culpæ seminibus, in vniuersos mortales propagata esse, omnes confitentur. Hęc autem culpa tametsi pestilentissima, haud tamen efficax fuit, ad rationis lumen extinguendum, aut ad omnem humanarum actionum seriem confundendam, sed talem in hominem inuexit ad vitia propensionem, tantamque ei peperit ad virtutes difficultatem, vt leuiter patiatur, se in vias obliquas pertrahi, & quod sensus dictat, libenter amplecti, atque à virtutibus longe abduci, quas vt difficiles, & arduas fastidit, aut horret potius.

Cum igitur effrænes isti sensuum motus, minus Senectutem, quam alias ætates soleant concutere, & diuexare, vt modo ostendemus, magnam ideo cõstat, hinc eius dignitatem existere, quæ sæuum concupiscentiæ dominatum, non leuiter valeat debilitare.

Quod quidem etsi vsu ipso vniuersis satis patere nobis persuadeamus, multo tamen euidentius, ac clarius id intelligi poterit, si Senij, & maturæ, huius vitæ status, cum singuli superioribus

bus ætatibus conferatur; cum certum sit, homines quamuis eiusdem sint naturę, quod ad mores tamen attinet, atque actiones, longe inter se, pro ætatum ratione differre. Vnde Apostolus ad Corinthios dicebat [a]: *Cum eßem paruulus loquebar vt paruulus; quando autem factus sum, vir euacuaui quæ erant paruuli.*

[a] 1. ad Corinth. c. 13.

Perturbationes in Adolescentia.

QVARE vt Omittamus infantiam, ac pueritiam, in quibus nullus ferè rationis, aut virtutis vsus dignoscitur: quid de adolescentia dicemus, quam teste Cicerone, ardor quidam excipit ætatis, ita vt nec prudentię, nec iudicij sit compos? ac verum bonum ignoret, nullam futuri temporis curam suscipiat, voluptates, & turpitudines appetat, ac concupiscentię facibus accensa, tota ferè in contentiones, contumelias, ac obscenitates pręceps ruat? Non opus est vtique, multiplices illius impetus, ac potius furores recensere, qui in prouerbium transierunt, quo dicitur. *Via viri in adolescentia* [b]. Et Iob dicebat [c]: *Scribis contra me amaritudines & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Et Dauid Propheta [d]: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Omitto exempla multa quæ passim in sacris literis probrosa adolescentum gesta arguunt. Vnde & Iurisconsulti delicta in hac florescente ætate commissa tanquam non

[b] Prouerb. cap 30.
[c] Iob c. 13
[d] Psal. 24

non certo adhuc iudicio firmata, mitius puniendа esse responderunt [a].

Nec verò ab effreni hac licentia ideo adolescentia vindicatur, quod aliqui interdũ sint adolescentes, & qui ab ijs vitijs, & errorib. reperiantur remotiores: Nam vt ait Cicero, cum hæc sint communia adolescentiæ detrimenta, non ideo quodãmodo naturalia esse desinunt, quòd aliqui ijs careant; sicuti irasci, quod humanum est; non ideo minus naturale erit, quòd multi reperiantur, qui non irascuntur.

Cum igitur acres, & deprauati sensuum ac libidinum motus, Senectutem prout notum est, longe minus afficiant, perspicuum est, actiones quæ ab ea prodeunt, longe equiores, ac moderatiores esse. Nam vt etiam Sanctus Hieronymus scripsit [b]: *Adolescentia multa corporis bella sustinet, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quasi ignis in lignis viridibus suffocatur*; à quibus Senectus longè est remotior, & vulgatum illud est, quod in Concilio Toletano legitur [c]: *Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum, nihil enim incertius, quam vita dolescentium. Ob hoc constituere oportuit, vt si qui in clero impuberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno Conclaui atrij commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo Seniori, quem magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant* [d]. Vnde & Sanctus Chrysostomus ait [e]: *Sicuti corpus vsquequo febribus detinetur, & subsequentibus agri-*

[a] l. Auxilium. §. in delictis de minorib. Tiraquel. de pœnre-mitte. cauſ. 7.

[b] S Hieron Epiſt. 2 ad Nepotian.

[c] In Concil. Toletan. 4. can. 24

[d] cap. omnis ætas 12. q. 1. Garsias Loayſa in d Conc. Toletan. 4 pag. 443.

[e] Homil. 7. in epiſtola ad Hebr.

egritudinibus, & si sit validum, tamen affligitur; cum autem liberatum fuerit ab obsessione morborum, recreat propriam virtutem. Sic etiam anima in iuuentute febribus laborat, & amor gloriæ opprimit eam, & delitiarum, ac venerearum rerum, & aliarum multarum perturbationum. Cum autem Senectus aduenerit, omnes has passiones effugat, alias per satietatem, alias per philosophiam constrictas; vigorem enim corporis relaxans Senectus, nec si velit anima, illis vti permittit; sed sicut hostes diuersos reeludens, velut in loco à turbis libero collocat, et multam ei operatur tranquillitatem.

Hinc scripsit Aristoteles [a], iuuenes nõ esse aptos ad ediscendas morales disciplinas, quia nondum didicerunt, rationis fræno affectiones comprimere; nec possunt sibi persuadere, vitia frugalitate, sobrietate, & continentia superari. Et denique sunt nimij in omnibus ferè actionibus; nimis enim amant, nimis oderunt, nimis cupiunt [b].

Quare merito Plato dicebat [b]: *Tum maxime mentis oculus acutè cernere incipit, cum primum defloreſcit corporis oculus.* Et Plinius [c]: *Iuuenes adhuc confusa quædam, & quasi turbata non indecent; Senibus placida omnia, & ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est.* Et græcus poeta inquit: *Senectus præclara ætas, quæ dominatur seruis, qui dominati fuerunt iuuentuti.* Hincque & dictum illud Ethnici sapientis: *Noli mihi compatiꝰ, quod sim Senex: sed compatere, quod iuuenis fui.*

Per-

a *Arist. 1. Ethic. c. 3.*

b *Arist. 2. Rethor. c. 12.*

c *Plat. in conuiu.*

d *Plin. epist. 1. lib. 3.*

Perturbationes in media Aetate.

POST Adoleſcentiam ad virilem ætatem aſcendamus, quæ quo propius ad Senectutis maturitatem accedit, eò longius ab adoleſcentiæ perturbationibus abeſſe non eſt dubitandũ; ſed non ideo tamen negari poteſt, graues eas quoq́, hoc annorum curſu illi contingere, cum hæc teſte eodem Cicerone, ex omnibus hominis ætatibus in varias affectiones, in pericula capitis, famę, & fortunarũ vna maxime incurrat; hæc enim ætas nunquam eſt pacata, ſemper laborioſa, ſemper anxia, & ſolicita; eoque grauioribus difficultatibus, ac periculis expoſita, quo ſe aptiorem ad res maiores gerendas agnoſcit. quod quidem rerum publicarum ac populorũ frequentes calamitates, & miſerię teſtantur, quę crebro hoc ipſo ætatis, curſu ab illis, qui virtutis, ac temperantiæ opinione præſtare cenſebantur, in orbem inuectę fuerunt, quas facilius intelligere, quam enumerare licet.

At verò cum iſtæ libidinum, cupiditatum, ac voluptatum faces refrigeſcente caloris vi, in Senectute minus inualeſcant, faciliuſque, moderationis fræno ſubijciantur, cum hæc ætas ad frigidum, & ſicum vt aiunt medici & Philoſophi temperat longiuſque a concitationibus, quibus aliæ ætates vexantur, abſit[a], quis non magnas huic ætati gratias habeat, ingentique eam honore dignam judicet, quæ rationis lumen tanta errorum

[a] *Iauell. in polit. christ. tract. 2. 2. par. 2. cap. 1.*

rorum caligine abduci non patiatur, sed potius tamquam nitidiore cœlo, densis fugatis procellis, veluti sol purior splendeat, ac dominetur?

Senectutis Status præ alijs ætatibus.

QVARE vt summatim dicamus, vocatur à nobis hoc loco Bonum Senectutis, non quia existimemus Senes omnino perturbationibus vacuos esse; scimus enim ipsos, & dolere, & amare, & irasci, & alijs animi commotionibus interdum exerceri; sed certe, nisi ipsi deliri sint, de quibus modo non est sermo, tantum interest inter perturbationes Senum, & aliarum ætatum: vt quantum reliquę ætates Senectuti corporis viribus præstant, tantum Senectus animi tranquillitate eas superare videatur, ipsæ enim quę Senecturi accidunt animi permotiones, quia leuiores sunt, facilius ratio cohibet. Vnde sequitur, vt cum Senibus insidię sensuum minus obesse soleant, ipsi plus virtutibus polleant, atque ad ea, quę sibi incumbunt, aptiores multo reddantur.

Quemadmodum autem, quod adolescentiũ aliqui petulãtię sint expertes, communem adolescentię impetum, & naturam minime immutat. Sic & nefaria voluptatis libido, siue fœda intemperantia, licet in Senibus aliquibus interdu viguisse deprehendatur, Senectutis tamen statui notam haud valet inurere, sed illis tantum senibus, qui verecundiam abiecerunt, ac nequi-

tiæ

tię fręna laxauerunt; prout de Salomone constat, cuius cor, cum iam esset Senex, à mulieribus fuit deprauatum. [a] Et pariter de Senibus illis iudicibus legitur, qui in concupiscentiam Susannæ exarserant, [b] vnde meritas pœnas dederunt.

a 3. Reg. c. 11.

b Daniel c. 13.

Secunda radix senilis boni est experientia.

SECVNDA ratio quę Bonum Senectutis astruit, ea est, quæ ab vsu rerum, & longæ ętatis experientia ducitur. Nam cum ad aliquid agendum opus sit id bene nosse, in quo versandum est; duplexque hęc scientia dicatur: altera, quam speculatiuam: altera, quam practicam vocant; longæua ętas sine dubitatione, maiorē hominibus facultatem largitur ad vtramque exercendam, atque ordinandam, [c] quàm cætera breuiora vitæ spatia.

c Iauel. in Epit. de iuuēt. et Senect. c. 4.

Sed nos in præsenti speculatiuam omittētes, ad quam non omnibus facile licet aspirare, cū ingenio, opibus, libris, præceptoribus, alijsque multis indigeat adiumentis, quæ non cunctis sunt communia; verum de ea, quæ experientia tantum comparatur, loquentes, quæ solo fere aspectu, & rerum quæ quotidie in magno hoc mundi theatro accidunt, obseruatione, sine vllo pene labore potest acquiri; Dicimus ex sapientum traditionibus. [d] hanc, magnam similitudinem cum arte habere, & memoriæ præcipuę inniti,

d Arist. in prohē. metaph. & in 2. poster. tex. 27.

inniti, cum ex multis memorijs eiusdem rei conflatur experientia, & ex multis experimentis, scientia in nobis efficiatur.

Quocirca tanti esse experientiam nonnulli asseuerant, vt non minus ipsi, quàm demonstrationibus censeant tribuendum, cum hæc rerum principia intueatur. [a] Hinc que non solum vulgo dicatur, *experientiam esse rerum magistram*, [b] sed etiam ad vim cognoscendi plurimum pertinere constet; cum virtus intellectualis, ad eius illustrationem & corroborationem, indigeat experimento, & tempore, vt in Ethicis relatum est. Vnde carmina illa Aphranij in Togata, [c]

Vsus me genuit, mater peperit memoria,
Ἐμπειρίαν vocant me Graij, vos sapientiam.

Ex quo etiam pendet, quod inexperti facilius delinquunt, & quod eorum delicta leuius plectenda iurisconsulti responderunt. [d] Vnde prouerbium apud Græcos, Συγγνώμην προτοπέρω: & illud non absimile, γλυκὺς ἀπείρω πόλεμος, Dulce bellum inexpertis.

Vt vero eo etiam manifestius quantus sit experientiæ vsus, & quanti ea sit æstimanda, constare possit, ac proinde quantum Senectus hac in parte reliquis ætatibus antecellat, operæpretium duximus, nonnulla præter sapientum virorum authoritates, de mirifico illius fructu hoc loco inserere.

a Arist. 6 Ethic. c. 11.

b c. Quãsit. de elect. in 6.

c Gell. li. 13. c. 8.

d l. deserzorem §. si plures. de re militari, & Tiraquel. de pœnis. temperan. causa 10. & 13.

e Isocr. Epist. 6. ad Iason. liber. Plato li. 6 de Rep.

Ex-

Experientia quam proficua, ad omnes vitæ vsus.

QVA in re, tam etsi omnia ferè complecti nobis liceret, quæ ad hanc vitam pertinent, siue ad propulsanda pericula, siue ad vitandas insidias, ad ferendos labores, ad tolerandam paupertatem, ad despicienda denique hęc omnia terrena, & caduca, spectant, ex quibus intelligeremus, res etiam difficillimas, & quæ summam afferre molestiam solent, illius ope, valde leues, ac nonnunquam cum delectatione coniunctas reddi.

Loquemur tamen nunc de ijs, qui Reipublicam administrant, ac publici consilij principes habentur: mirum est enim, quanti ponderis sit in his publicis muneribus experientia, quantumque excellant homines vsu periti ijs, qui rudes ad Ciuitates gubernandas accedunt. Fatcor sanè magni esse momenti eruditionem, & plurimum conducere rerum maximarum scientiã, sed nescio quonam modo in his rebus politicis scientia ipsa experientiæ primas concedit, estq; velut lucernæ lumen, si cum lumine solis conferatur.

Itaque Videmus sæpe, homines eruditissimos, qui de Reipublicæ statu copiosè, & ornatè disserunt, librosque Platonis, & Aristotelis, aliorumque nobilium philosophorum in manibus habent: tamen in negocijs arduis, in cõsilio dando,

dando, & in Republica tractanda, ab hominibus expertis, & in hoc genere rerum exercitatis, longe, multumque superari.

Imo occurrunt frequenter negocia grauissima, in quorum meditatione, licet quis diu versatus fuerit, multaque ex librorum cognitione perceperit; tamen si experientia caret, quamuis peritissimus sit, imperitus omnino, atque rudis existimatur.

At enim sumamus hominem, qui nunquam militauerit, nunquam hostem, aut castra viderit; quis obsecro huic, licet omnium veterum Imperatorum res gestas legerit, licet omnia militaris disciplinæ præcepta perceperit, licet historias omnes, & quic quid in illis est, de ducendo exercitu, de locandis castris, & de alijs rebus huiusmodi memoria complectatur; quis inquam hunc belli ducem audebit designare, aut vllam exercitus curam eidem committere?

Linquamus Duces, & referamus animum ad milites, & quid quęso distinguit veteranos à tyronibus, nisi experientia? Et tamen omnium insignium Ducum sentẽtia, tantum interest inter hos, & illos, vt ipsi tyrones nullo ferè loco numerentur, si cum veteranis conferantur.

Conuertamus pręterea oculos ad omnes ferè artes tam quę in actioue, quam quę in factione versantur: quis vnquam medicum magnifaciet, nisi experientiam cum medicinę cognitione coniungat? quis plurimũ aduocato tribuet, qui nunquam in foro fuerit versatus? quis picto-

rem

a Cicer. lib. 1. de off.

rem, quis cytharœdum, quis vllum alium artificem peritum existimauit, licet omnia artis prę cepta teneat, si nunquam, aut raro in illa se soleat exercere?

His addere possumus id quod Aristoteles scribit: [a] *Rethoricam ex ipsa, experientia natam fuisse;* cum enim homines obseruarét quid esset illud, quo disertus alijs excelleret, & qua potissimum re ab ijs distingueretur, qui eloqué tes non sunt, inde collecta fuerunt pręcepta, ex quibus paulatim Rethorica ars initiũ sumpsit, quę postea lõgo vsu, & exercitatione aucta fuit, & amplificata.

[a] *Arist. Rethor. ad Theodect. lib. 1. c. 1.*

Itaqve vt omnia paucis complectamur, experientia re vera gignit artes, nutrit, alit, confirmat, exornat; & quemadmodum ad videndum non solum oculus necessarius est, verumetiam lumen: eodem modo non solum sunt necessaria in artibus pręcepta, verumetiam vsus, & experientia.

Est igitur experientia in arte, velut acies in gladio: est sicut in animalibus calor naturalis, qui per omnia membra diffunditur; vt enim sine hoc animalia viuere non possunt; ita sine experientia artes, velut mortuę, iacere solent.

Experientia in rerum naturalium cognitione quam Salubris.

His præterea, quę de experientia dicta sunt, illud addere possumus, quod minimè plc-

riqus

rique arbitrantur; nimirum etiam rerum naturalium cognitionem, magna ex parte experientia constare. Siue enim loquamur de his rebus inferioribus, siue de superioribus, certe earum scientia, ab ipsa experientia initium sumit.

Quæro enim, quis nobis tradiderit vires, & naturam herbarum, & reliquarum omnium stirpium, & plantarum, quarum tam necessarius est vsus, nisi experientia ipsa? vnde emanant præcepta agricolarum de serendis frugib. de inserendis arboribus, de adhibenda vitibus cultura, præter quam ex ipsa experientia? vnde nouerunt medici medicamentorum vim, quæ ex eisdem herbis, & ex alijs rebus colligunt? vnde perceperunt hanc vtilem, & illam perniciosam, hanc salutarem, & illam mortiferam, nisi ex eadem experientia? Fatemur enim harum rerum scientiam esse, sed certe primas fert experientia: & quemadmodũ ex fonte fluuius: sic certum est, ex ipsa experientia scientiam emanasse.

Longum esset omnia persequi, quæ de physica, de astrologia, & de alijs scientijs occurrunt, quibus perspicuum est, experientiam initium dedisse. Sed quia hæc certa sunt, longiorque foret esset hæc disputatio, quàm hic locus postulare videtur, ad rem tandem redeamus.

Quo loco, si quis forte obijceret, non omnes Senes harum artium, & scientiarum, de quibus diximus, cognitionem habere; non tamen is negabit, maximum hoc lucrum, & commodum ex temporis diuturnitate hauriri solere, dignoscendi,

scendi, considerandi, & certo iudicio æstimandi res, quas ipsimet viderunt [a], & experti fuerunt: & si verum est quod dici solet, *peritis in arte credendum;* certe Senibus, vt rerum omniũ quas ætas fert, summe peritis, maxima erit fides adhibenda.

[a] S. Tho. 2.2.q.47 art.15.

Hoc autem & communi omnium consensu iniri videtur, qui tantum experientiæ tribuunt, vt cuncti plus ijs confidere soleant, qui in aliqua re diu versati sunt, quam illi qui primum aggredi incipiunt, quantumuis sint ingeniosi.

Experientia ad res mundi contemnendas mirifica.

NEc hoc in ijs tantum rebus obseruatur, quæ ad mutua hominum cõmertia pertinent, sed ad alia etiam longe grauiora, periculosiora, ac salubriora.

Quot enim res sunt, quæ in oculis hominum magnæ, & laudis plenæ, ac gloriam ingentem, immortalemque decus polliceri putabantur; & tamen eadem inania existere, & longe aliter, quã censebatur, successura esse, soli Senes longo vsu, & experientia perspexerunt? Hinc Aristoteles difficilis eos spei esse tradidit [b], propter experientiam, quoniam eis multa in deterius euenerunt.

[b] Arist. 2 Rethor. c. 13. S. Th. 1.2.q.40. art.5.

Propter hunc etiam rerum vsum, & experientiam cum cæteri homines in summam admirationem adduci soleant, quod ea quæ in primis cele-

celebrantur, cuiuſmodi ſunt opes regiæ, potẽtia, pulchritudo, robur, eloquentia, & alia eius generis, momento temporis mutari, ac concidere videant; ſoli Senes nihil fere his rebus permouentur; imo *alios*, vt ait S. Ambroſius, *exemplo ſuo docent, illa omnia contemnere*; tantumque ex illis eum fructum percipere, qui ad æterna bona, poſt hanc vitam comparanda, pertinere poteſt.

Idem in cæteris rebus, quæ adeo ſtudioſe ab hominibus in hac vita expeti ſolent, declarari poteſt. Nam cum Senex nihil niſi maxime fugax, fallax, breue, inane, lubricum, imbecillumque in rebus humanis eſſe deprehenderit, ac ſæpius ſe illis deceptum fuiſſe reminiſcatur, non ſolum hinc ipſe cautior redditur, ne mundi fallaciis ac figmentis capiatur, [a] iuxta prouerbium illud vulgare, *Difficile eſſe, dare verba Seni*: ſed etiam eo conſtantius poteſt reliquos communis erroris, & fragilitatis admonere.

[a] *Tiraquel. in de Iur. primig. num. 91. 92.*

Hincque cum ex rerum præteritarum euentibus, ſatis didicerit, nihil ſibi, niſi in futura vita eſſe expectandum, mundana hæc omnia, excelſa quadam animi magnitudine contemnit. Hoc autem non ita facile illi efficere poſſunt, qui in hac rerum humanarum paleſtra diu, multumque verſati non fuerunt.

Ter-

Tertia radix senilis boni est Prudentia.

TERTIVM succedit argumentum, quod ex præcedentibus quodammodo sequitur, ac Senectutem in primis commendat, & exornat, quod prudentiæ præsidio, præter cæteras ætates muniatur. Nam repressis à matura ætate effrænibus cupiditatibus, & perturbationibus, accedente deinde longa rerum obseruatione, atque experientia, dubium non est, prudentiæ decus plurimum efflorescere, quæ præteritis edocta, rectius præsentia intuetur, & cautius futura præsentit.

Hanc autem virtutem maximè necessariam esse ad humanam vitam, apertè constat; cum enim bene viuere, nihil aliud sit (vt ait Sapiens) quam bene operari, ad benè autem operandum, non solum requiratur quid fiat, sed præcipuè quomodo fiat: certè hæc omnia nobis rectè & distinctè, ipsa prudentia tradit: hæc enim cum recta ratio rerum agendarum sit [a], naturam, & pondus rerum contemplatur, non vt sciat modo; sed vt quæ contemplando didicit, re ipsa efficiat, & exequatur: in quo vno rationem, quam *Medicam* appellant, [b] clarum est contineri.

Patet autem hæc virtus latissimè, nullumque est ferè tempus, nullus locus, nulla vitæ pars, nullus hominum status, qui prudentia non indigeat.

[a] S. Tho. 1.2.q. 57. art. 5.

[b] S. Tho. 2.2.q. 47. art. 1. ad 3. & ar. 2.

digeat. Diffunditur enim per omnes actiones, & per omnia negocia, vixq; quicquam agimus, aut loquimur, quod aliquo modo prudentiam non expoſcat.

Itaque cum reliquæ virtutes quantumuis eximiæ, & fructuoſæ ſæpe ceſſent, & nullum actũ producant; cum interdum (quod perſpicuũ eſt) multi homines licet iuſti, quia tamen in ſolitudine viuunt, vix iuſtitiam exerceant: item alij fortes, & conſtantes, quia non occurrunt pericula, aut dolores, nullum fortitudinis ſpecimen præbeant: Hæc vna prudentia nunquam vacat, nunquam eſt otioſa, ſemper illius munere indigemus; imo etiam cum alijs virtutibus moralibus vtimur, neceſſariò debet adhiberi prudentia, [a] quæ illis quodammodo præſcribat finem, & media paret ad illum adipiſcendum accommodata.

[a] S. Th. 1. 2. q. 65. ar. 1. & in 2. 2. q. 129 art. 3. Ariſtotel. in Ethic lib. 6. c pen & lib. 10. ca. 8.

Prudentia Chriſtiana diſtat à Politica.

LOQVIMVR autem hic de vera, & Chriſtiana prudentia, quæ à diuinorum mandatorum præſcriptione nunquam diſcedit, ac puram ſe, atque integram ab omni fraude, mendacio, fallaciaque cuſtodit. Non qualem [illegible] tici vulgo dicti, ſibi mundi prudentiam, quæ potius prudentiæ larua, ac fucatum virtutis ſimulachrum eſt, confinxerunt. Illi enim dum ſolido veritatis,

veritatis, ac iustitiæ fundamento relicto, consilia sua ad res fluxas quoquo modo tuendas, aut parandas, simulato hoc prudentiæ spectro dirigunt, non solum se à veræ sapientiæ classe eximunt, sed etiam cœlestibus, & nunquam interituris præmijs, indignos reddunt.

Prudentia necessaria in rebus publicis.

QVAMVIS igitur reb. omnib. vt dictū est, prudentia conducat; tamen certum est, eas, quæ maioris sunt ponderis, & momenti præter cæteras, prudentiam postulare. Quare merito non solum apud homines vita, & doctrina excultos, verum etiam apud barbaros, & agrestes, illud semper fuit in more positū, vt ad Reipublicæ administrationem, ad res bellicas, & ad alia negocia grauia, in quibus salus ciuium, & communis vtilitas continetur, homines qui aut prudentes sunt, aut prudentiæ opinionem habent, præter cæteros deligerentur.

Quare merito in omnibus Ciuitatibus, aut saltem in ijs quæ olim fuerunt optimè institutæ, his in primis, qui hac virtute excellebant, Reipublicæ gubernacula tradebantur, & ad eos negocia omnia ardua deferri solebant; quod multis exemplis confirmari potest, quæ quoniam nota sunt, silentio prętermitto. Imo etiam nostra ætate, hos præter cæteros, ipsi Reges, & Principes viri, cum Rempublicam benè administrare

volunt, consiliarios deligunt, sibique ministros, & sui muneris socios adiungunt.

Non solum autem in ocio, & in pace, verum etiam in bello, in quo fortitudo primas partes sibi vendicare videtur; in bello inquam, & in castris, nihil est magis necessarium, quàm ipsa prudentia.

Quem enim fructum afferre potest exercitus etiã numero amplissimus, aut milites fortissimi, aut maxima pecuniæ vis, aut tormenta bellica, aut reliquus militiæ apparatus, nisi hæc omnia, eximia Ducis prudentia administrentur? quid magis necessarium, quàm nullam rei benè gerendæ occasionem prætermittere, quam omniũ temporum, locorum, & rerum opportunitatem obseruare, quæ omnia pendent ex Imperatoris prudentia.

Quid denique hostem magis terret, quàm solertia, & calliditas Ducis, à quo videt nullum negocium frustra suscipi, sed omnia cautè, & magno consilio geri? Nonne cum maximos soleat esse in castris militum numerus, cumque hi persæpe vitam periculo committant, victoriæ laus, & gloria ipsi Duci in primis tribui solet? Hinc celebre illud Ciceronis dictum, *parua esse arma foris, nisi sit consilium domi.* Et quod M. Castritius Placentinus dixisse Carboni Consuli fertur[a], qui cum iactaret, multos se gladios habere, ille respondit: *Et ego annos.*

[a] *Val. max. li. 6. cap. 2. nu. 10.*

Pruden-

Prudentia necessaria in rebus priuatis.

SED omittamus iam Rempublicam: certè in negocijs priuatis, item in ipsa solitudine, vix quisquam explicare potest, quàm necessaria sit prudentia; quod Diui Antonij testimonio cõfirmare possumus, qui vt legitur in Collatione Patrum[a], hanc virtutem præferendam respondit ieiunio, orationi, eleemosynæ, peregrinationi, & alijs omnibus, pietatis exercitationibus, eo quod ad conscendendum perfectionis apicẽ, nihil ea sit aptius, nihil vtilius.

[a] Cassianus. Coll. 2. c. 2.

Quibus concinit quod dictum olim à nonnullis fuit, virtutes omnes prudentias esse: quod quãuis verum omnino non sit, cum multæ sint virtutes ab ea distinctæ; verissimum tamen illud est, nullam virtutem prudentiæ officio, & comitatu vacare posse; cum ea rectam omnium rerũ gerendarum nobis rationem præscribat, vt scilicet ea, quomodo oportet, & quando oportet, efficiamus. Et sicut stellę, sine sole lumen non habent; ita iustitia, fortitudo, temperantia & reliquæ omnes, sine prudentia virtutes esse non possunt.

Vnde & in Euangelio, prudentia, oculus corporis, atque lucerna mysticè appellatur. Et Sanctus Ambrosius[b] & alij, nomen prudentiæ, ad quamlibet cognitionem humanam tam speculatiuam, quàm practicam retulerunt[c]; propterea

[b] S. Amb. offic. lib. 1 c. 24
[c] S. Th. 2 2. q. 47. art. 2. ad 2.

rea quod nulla perfecta cognitio, nulla rerum gerendarum deliberatio, plene haberi possit absque tribus illis prudentiæ actibus, memoria præteritorum, intelligentia præsentium, ac prouidentia futurorum. Quos omnes propheta versiculo illo complexus est [a]: *Gens absque consilio, & prudentia: vtinam saperent, intelligerent, ac nouissima prouiderent*: Saperent scilicet præterita, intelligerent præsentia, ac prouiderent futura.

[a] Cant. Moysi. Deut. 32.

Prudentia cur potius senij quam aliarum sit ætatum.

HANC autem prudentiam propriam maxime Senectutis esse, satis constat ex vsu ipso, & ex ijs quæ Aristoteles in Ethicis scribit; vbi ait [b] inueniri posse iuuenes, qui optimi sint geometræ, mathematici, & musici, sed non qui sint prudentes; quoniam prudentia rerum tantum singularum vsu, varietate, diuturnaque obseruatione comparatur; quarum rerum notitiã propterea iuuenis non habet [c], quod experientia caret, quam efficit temporis longitudo. Hinc que S. Basilius [d] eos rectè vocari ait Senes, qui prudentia perfecti sunt, quique moderatione & grauitate cæteris præstant, quasi hæc sint propria Senectutis munera, quod ipsum etiam late tradit S. Chrysostomus [e].

[b] Ethic. 6 cap. 8.

[c] S. Th. 2. 2. q. 47. art. 14 ad 3. & art. 15. ad 2.

[d] Ho. 12. in princ. Proverb.

[e] Hom. 8. in Epistolã ad Hebræos.

Et quamuis obijci ab aliquibus posset, adolescentes etiam permultos inueniri, qui facilius scien-

ſcientias percipiunt, pręſertim eas, quę in cognitione tantum verſantur, quàm illos, qui prouecta iam ſunt ętate. Item multos in media ætate prudentes reperiri, qui aliorum præterea facta memoria repetentes argumentum inde ſumunt ad futura agenda, aut vitanda.

Hæc tamen parum obſtant. Nam quod ad adoleſcentes pertinet: verum eſſe fatemur, multos in rebus apprehendendis, & cognoſcendis præſtare Senibus; tum quia vt philoſophi aiunt, habent organa ſenſuum magis diſpoſita; tum quia non tanta multitudine, ac varietate phantaſmatum diſtrahuntur: vnde attentius rei ſibi propoſitæ ſolent incumbere. Verum, non tantum eſt ipſius intellectus, res percipere, ſed etiam illa ordinare, diiudicare, & cum plura ſimul concurrunt, ſingulorum vim, & pondus examinare, ac de illis ſententiam ferre. Quinimo non ea tantum, quę in promptu ſunt, conſiderare: ſed alia etiam extrinſecus explorare, indagare, & cũ præcedentibus conferre.

Hoc autem præſtare, quod in rebus gerendis præcipuum, & potiſſimum cenſetur, non eſt munus iuuenum, ſed Seniorum; qui præter cęteros excellunt intellectu, iudicio, experientia, rationis lumine, & ſumma circumſpectione. Vnde quãuis in adoleſcentib. vigere poſſit intellectus quo ad percipiendum; non tamen quoad iſtos alios actus, vt rectè de rebus æſtimare, ac deliberare poſſint [a]. Hincque Dauid in pſalmo, excelſam rẽ ſignificans, dixit [b]: *Super Senes intellexi*, non

[a] *Ariſt. 2 Ethic. c. 1. S. Th. 2. 2. q. 49. ar. 1*

[b] *Pſ. 118.*

dixit super iuuenes, quoniam id parum erat.

Idem etiã de vsu rationis dicimus: licet enim hanc ab adolescentibus non excludamus; tamẽ cum varijs sint ipsius actus, hoc ipsum quod in ratiocinando versatur, ita vt rectè applicentur generalia principia ad id quod tunc agitur: hoc inquam constat, non tam ad iuuenes, quàm Senes spectare, cum Senes maxime iudicio, ac experientia præstent.

Quoniam autem illud etiam obijcitur, multos constante quoque ætate reperiri, qui prudentia excellunt. Respondemus, cum prudentia constet ex multis partibus, non sufficere, vnam, aut alteram, sed omnes necessarias esse ad hanc virtutem constituendam [a]: hinc que dicimus, has potius in Senectute, quàm in alijs ætatibus reperiri, cum Senes plerumque argumenta non petant ex rebus aliunde acceptis, sed ex ijs, quas proprijs oculis viderunt, & experti sunt. Quibus apertè constat, aptiores illos esse ad futura, seu prospicienda, seu cauenda, aut etiã moderanda. Vnde & apud Sanctum Iob legitur [b]: *Annorum multitudo docet sapientiam*: & commune quoddam dictum est [c]: *Senes moribus, & doctrina, alijs excellere.*

[a] S. Th. 2. 2. q 48. et 49. per totum.

[b] Iob. c. 32

[c] Tiraq. in præfat. nu. 89 & seq.

Præterea cum homo ex duabus partibus constet, animo, & corpore; scimus materiam quidẽ corporis illi cum reliquis animantibus esse communem; animum vero, cũ ad imaginẽ, & similitudinẽ Dei fuerit creatus, in homine excellere.

Quare cũ Senectus minus, quàm cæteræ ætates,

tes, sensibus perturbata, ac plus experientię prę-
sidio edocta atque instructa, nouerit consilium
& rationem, in quibus melior pars hominis con
sistit, aptius & vtilius exercere; sequitur, pruden
tiæ laudem, quæ partes has complectitur [a], in
hac maximè ætate vigere. Nam Senilis ætas
quominus corporis robore valet, nec præcipiti
sensuum vigore agitur, (quæ est inferior animæ
portio, ac exequens tantum actiones, quæ di-
cuntur hominis) eo magis excellit in illa pars in
telligibilis, & superior, exercens actiones, quæ
non hominis tantum, sed humanæ propriè ap-
pellantur: quod hominis, quatenus ratione cæ-
teris præstat animantibus, propriæ sint, vt sacri
Theologi declarant [b]; ita vt cum Apostolo di-
cere possit [c]: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Cum
igitur homo, tunc plenius ex rationis præscri-
pto viuere incipiat, fuit ab aliquibus Senectus
vitæ anima appellata, eo quod vt ait Sanctus
Hieronymus [d]: *In Senibus crescat sapientia.* Vn-
de Sunamitidem illam, quæ perquisita fuit, vt
Dauidem annos natũ Septuaginta calefaceret [e],
mystico sensu exponit, indicare sapientiam, quę
Dauidem senem fouebat; ac refert idem, The-
mistoclem, cum expletis centum & septem an-
nis, se mori cernere, dixisse; *Se dolere, quod tunc
egrederetur è vita, quando sapere cæpisset.* Quod
& veteres Poetæ tradiderunt dicentes [f],
*Sapientiæ ætas condimentum est, sapiens ætati ci-
bus est.*

[a] S.Th.2. 2.q.49. ar.2.& 5

[b] S.Th.1 2.q.1.ar. 1.

[c] 2. Cor. 12.

[d] S.Hier. Epist.2.ad Nepotiã.

[e] 3.Reg.2

[f] Plaut. in Trinũ mo.

Propterea ex his & alijs reb. multis, quę in eius commen-

commendationem afferti possent, satis constare videtur, Senectutem, quæ sibi hanc præcipuè laudé vendicat, in hoc maximè cæteris omnib. ætatib. excellere, qđ plurima alia secũ ducat, hominum commercio, & rebus agendis valdè necessaria; consilium, intellectum, docilitatem, solertiam, prouidentiam, circumspectionem, & alia multa, quæ à Sanctis Doctoribus [a] commemorantur.

[a] S. Th. 2. 2. q. 149. art. 1. & seq.

Quibus præsidijs Senex munitus, plus prospicit, melius consulit, minus decipitur, certius iudicat, ac seipsum & alios cautius regere, & præclara alia multa perficere nouit, quę inferius suo loco tradentur.

Quarta radix senilis boni meditatio mortis.

QVARTA est ratio, quæ Senectutem insignem maximè, & illustrem reddit, quòd peregrinationis nostræ terminum aduentare admonet, mortis mox sequuturæ imaginem repræsentat, ac reddendæ rationis tribunal, ante oculos statuit. Vnde timor Dei, libertas spiritus, conscientiæ expurgatio, rerum humanarum despicientia, loquendi sinceritas, iuuandi cupiditas, animi securitas, vitæ in melius mutatio, ac plurima alia virtutum, & meritorum lucra, subsequi solent.

Qua ex re eximiam Christianæ legis præstantiam,

tiam præter alia innumera licet colligere ; quæ vnde timendi , & triſtandi olim Gentiles occaſionem ſumere, & Senectutem accuſare , quòd mortis eſſet nuncia, ſolebant; inde Chriſtiana diſciplina maximum ad conſcientiæ tranquillitatem, atque animorum ſalutem, lucrum referat.

Conſtat enim inter quatuor illa capita, quæ olim Senectuti obijciebantur, hoc vnum fuiſſe, quòd non procul abeſſet à morte, prout Cato maior in libro de Senectute refert; qui quamuis eodem in loco triſtem hanc opinionem refellere ſtudeat, docens hinc homines ad immortalitatis ſpatia vocari; & alij etiam ex veteribus auctoribus, meditationem mortis , magnam eſſe philoſophiam affirmarint, attamen cum non eſſent fidei lumine illuſtrati, nihil in his omnino verum aut ſolidum attingere potuerunt ; imo ex ijs multi hãc, quam alijs philoſophiam tradere profitebãtur, ipſimet ex animo nõ probabãt: quod clarè oſtẽdit ipſe idẽ Cicero, qui librũ, *de contemnenda morte* conſcripſit; conatus alijs perſuadere, nihil eſſe in morte, quod ſit dolendum, aut fugiendum. Et tamen eadem argumenta nullam ſibi ipſi fidem feciſſe , manifeſtè ea oſtendunt, quæ tam ſæpe, & flebiliter de Tulliæ filiæ ſuæ obitu deplorauit, cum ad Atticum ſcribens dixerit [a], *quòd omnem conſolationem mœror ſuperabat;* & tandem ad dolorem ſuum minuendũ, inanẽ, & ſtolidam illam conſecrationem confingere conatus fuerit, quam Lactantius etiam arridet.

[a] Cic. ad Attic. li. 12. Epi. 4. b. Lactan. in lib. de falſa Religione.

Redden-

Reddendæ rationis post mortem cogitatio quantum proficiat.

ALII etiam philosophi, qui hanc mortis meditationem iactabant, longo admodũ interuallo se ab illius fructu, & veritate dignoscenda aberrasse, id maximà declarat, quòd existimarunt, miserias omnes humanę vitæ eo ipso momento terminari; cum tamen non tunc illæ desinant, sed potius examinari incipiant, & tanquam in æquilibro ad tribunal supremi iudicis constitui, *vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum* a.

a 2. Cor. c. 5.

Quapropter ex philosophica illa mortis meditatione, nemo videt, eos ante exitum mores commutasse, aut vitam emendasse, siue maiorem vllam virtutis significationem dedisse. At nos vsu sæpe vidimus, hanc solam cogitationem reddendæ rationis, tantum apud fideles valere, vt multi aliquando furore aliquo perciti, aut vehementiore dæmonis spiritu in desperationem adacti, cum sibiipsis manus inferre, aut se præcipites ex rupe velle deiicere minarentur; eo ipso impetu ab aliquo admoniti, illorum calamitatem tunc magis augendam fore, cum & nefariæ huius actionis, & totius superioris vitæ ratio, illis ante tremendum, & iustissimum Dei tribunal reddenda, & supplicium præteritæ culpæ subeundum esset; illi sta tim consiliũ mutarunt at-

atque ab ea immanitate manus continuerunt.

Hinc videmus Senecam, qui tam præclara multa de vitæ extremo, ac morte oppetenda scripsit; quia tamen hoc de quo agimus non vidit, longe à rationis semita prolapsus est. Nam quodam in loco ait: [a] *Ego certe id ago Senex, ne videar velle, quæ puer volui. In hoc vno eunt dies, in hoc noctes, hoc opus meum est, hæc cogitatio, imponere veteribus malis finem. Id ago, vt mihi instar totius vitæ sit dies, nec mehercules tanquam vltimum rapio; sed sic illum aspicio, tanquam esse vel vltimus possit; hoc animo tibi hanc epistolam scribo, tanquam cum maxime scribentem mors euocatura sit, paratus exire sum, & ideo fruor vita, quia quamdiu futurum hoc sit, minimi pendo. Ante Senectutem curaui, vt bene viuerem, in Senectute, vt bene moriar; benè autem mori, est libenter mori.*

[a] Seneca Epist. 61.

HAEC quamuis egregie dicta sint; quia tamen id, quod caput est reddendæ rationis, non complectuntur, parum præstant. Vt omittamus eundem alijs in locis, indigne nimis, ac sæpe hac de re pronunciasse, cum dixerit, *facilem esse via ad libertatem:* [b] cum in promptu semper sit gladius, laqueus, rupes, veneni aliquid, & huiusmodi instrumenta, quæ immanitatem potius, ac summam futuræ vitæ caliginem ostendunt.

[b] Seneca epi. 12. & 24. & in lib. cur mala bonis accidant.

Et idcirco olim Ethnici Philosophi, oratores, & alij gentiles huiusmodi, tametsi forti animo, & læto hinc migrare se dicerent: quia tamen cõsecuturæ vitæ conditionem ignorabant, quàm grauiter

grauiter decepti fuerint, satis omnibus liquere potest, ita vt ijs illud Isaiæ congruere possit: [a] *Errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium.*

[a] Isaia c. 28.

At verò Christianus, qui ex canitie, rugis, languore, frigore, ac pedum imbecillitate, tanquam ex speculo, finem sibi imminere, ac mortem aduentare conspicit; simulque certa fide tenet, se in iudicium proximè vocandum, ac ad tribunal Iudicis sistendum, vbi anteactæ vitæ referat rationem: Certe nisi amens sit, se statim ex animo colligere incipit, atque ad futura certamina intento animo præparare. Nouit enim de piorum morte scriptum esse[b]: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* De improborum vero exitu dici[c]: *Mors peccatorum pessima.* Et rursus: [d] *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.* Imò eo ipso temporis puncto, quo hæc sibi in mentē veniunt, dies ipsos (si sapiens est) noctesque ingemiscere, nouaq; vitæ instituta, serio profiteri aggreditur. Cuius rei præclarum exemplum, cum fructu maximo secutum, refert Ioannes Climacus dignum quod legatur, cum se testem oculatum extitisse affirmet. [e]

[b] Ps. 115.
[c] Ps. 33.
[d] In Symbo. Atha.
[e] Ioā. Cli. de memoria mortis grad. sexto.

Quare hæc cogitatio, admirabilem ex Senectute fructum capit, atque omnium est, quæ ad hominum salutem pertinent, maxime accommodata. Nam sicut flantibus Etesijs fugantur nubes, cęli serenitas inducitur, ac magna pelagi sequitur tranquillitas: Sic ex hac sola appro-

pinquantis

pinquantis mortis cogitatione, mirum est, quanta animi succedat compositio, rerum terrestriũ despicientia, ac cęlestium desiderium.

Itaque sicuti qui in portum peruenit, non est amplius sollicitus huc ne, an illuc fluctibus iactetur, sed animo, & corpore conquiescit: sic qui ad extremam peruenit ætatem, nullam amplius timet vitæ mutationem, sed tanquam in portu maris consistens, communis huius vitæ tutiore, ac proinde beatiore fruitur statu, vt inquit Sanctus Nazianzenus, [a] quàm is cui longa adhuc supereſt nauigatio. Vnde quod colligitur ex sententia illa Senecæ, quam multi summis laudibus efferunt, *eum qui nouit ponere modum desiderijs, posse cum Ioue de felicitate contendere*; id Senex ex seria hac mortis meditatione plane cõsequitur, cum sibi nihil, nec sperandum, nec metuendum in præsenti vita supereſſe videat, sed tantum ad futuri sęculi expectationem, consilia sua omnia transferat.

a S. Nazian in oratio. in pla. grãd. & ibi Schol.

Contra verò, qui diuini Iudicij obliuiscitur, tanquam fræno abiecto, vt ait Sanctus Chrysostomus [b], in præcipitium defertur, cum dicat propheta: [c] *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tẽpore*, & subdit causam: *feruntur iudicia tua à facie eius*. At quem continuus hic percellit timor, modeste viuendi viam tenet, ac per eam tutus quodammodo ingreditur. Vnde illud non minus salutare, quàm tritum: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* [d]

b ho. 38. in S. Iob.

c Ps 9.

d Eccl. 7.

QVEMADMODVM igitur gratiam aulico illi Regis

Regis intimo habere ſolemus, qui nobis aditum aperit ad Regem, & gratiæ illius nobis conciliãdę eſt quodammodo miniſter: ita Senectuti hoc nomine plurimum debemus, quòd nos ad hanc mortis meditationem vocet, ad quam, tanquam ad tutum veræ ſalutis portum, plurimæ vndiq; virtutes confluunt, quæ homines ad futuræ vitæ præmia exſtimulant, atque incendunt. Vnde S. Chriſoſtomus ſcribit a: *Omnibus laborantibus dulcis eſt finis; viator libenter interrogat vbi ſit manſio; mercenarius frequenter computat, quando annus completur; agricola ſemper tempus meſſis expectat; negociator die, ac nocte, thecæ ſuæ diſcutit rationem; mulier prægnans ſemper de decimo menſe cogitat: ſic ſerui Dei, cum ad Senectutem perueniunt, libenter de morte ſua cogitant; vbi enim theſaurus eorum, ibi & cor eſt. Si haberes ſolidorum quantitatem in arca tua, oculos illuc ſæpe conuerteres: ſic Sancti in illum locum crebro intuentur, vbi repoſitam habent coronam.*

a ho. 49. in S. Mat.

Quinimo ſi accuratius res conſideretur, ex hoc vno Bono, alia omnia proueniunt: vt enim qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur: ſic qui occaſionem acquirendæ fęlicitatis tibi ante oculos offert, eandem tibi fęlicitatem quodammodo præbuiſſe cenſendus eſt. Et quãuis in cæteris etiam ætatibus ſuboriri obitus, & mors accidere poſſit, ita vt peculiare non videatur hoc munus Senectutis; negari tamen non poteſt, hanc mortis meditationem, natura ipſa dictante, huius ætatis maximè propriam eſſe, cum

per

per singulam momenta iam iam occidens sol, noctem aduentare præmoneat, atque omnium fere membrorum vnanimis coniuratio finem certādi vltimum, quasi hostem proximum esse prænunciet. Vnde & Iurisconsultus respondit[a]; Senem semper dici esse in periculo mortis.

[a] l. Mortis causa. cū seq. ff. de donat. cans. mor.

Quod quidem in alijs ætatibus non ita accidit, quæ longioris progressus spem ex ipso naturæ cursu concipiunt. Et quamuis cęcus amor nostri, visceribus ipsis ingenitus, nos ipsos etiam in summa ætate decipiat, & cum tam facile aliorū fragilitatem, & imbecillitatem intelligamus, nostram tamen minime percipiamus; quia non perinde alienæ vitæ, atque propriæ amore capti sumus; & quod nullo modo accidere vellemus, id nulla ratione tam cito futurum esse, nobis persuadeamus.

Attamen nisi quis prorsus deliret, ac omnino nihil videat, & quæ omnibus notissima sunt, impudenter audeat dissimulare, certe hunc aduentum in proximo esse, secum cogitare compellitur, ac assentatorum illam persuasionem, quæ bono Senes animo esse iubet, quod vita ipsorum diu trahenda sit, tamquam fallacem omnino, ac pernitiosam, atque à Dæmone immissam, à sanctisque Patribus damnatam, celerime repellere conabitur. Quod quidem Sanctus Nazianzenus suis carminibus præclare nobis testatum reliquit, dicens:

Αεὶ μὲν ἐργάζοιο τὴν σοτηριὰν,
Καιρὸς δὲ δὴ μάλιστα ἡ βίου λύσις.

Το γῆρας ἦλθεν, ἔξοδον κήρηξ βοᾶ.
Πᾶς εὐτρεπίζου, πλησίον γὰρ ἡ κρίσις.

Idest

Semper saluti tu, quidem stude tuæ,
Potissimum autem, sub diem vitæ vltimum.
Venit Senectus: exitum præco canit;
Parentur omnes, imminet iudex Deus.

Quo loco Nicetas Paraphrastes multa in hanc sententiam salubriter scripta, monumentis suis tradidit.

Quinta radix senilis boni est auctoritas cum dignitate.

QVINTA ratio, & boni huius radis est, quæ auctoritate ipsius Senectutis nititur. Hæc enim auctoritas, cum non solum in omnibus publicis personis, veluti Principibus, Magistratibus, Senatoribus, Præfectisque, pro officij eorum gradu, vt notum est, requiratur; sed etiam in singulis illis hominibus maxime sit necessaria, qui aliquid alijs persuadere volunt, siue sint medici, siue aduocati, siue oratores, aut consiliarij, seu alij quicunque. Propterea quod, cum res de quibus agunt, alijs probare, ac ita se habere, cupiant ostendere; nisi in aliqua sint opinione, vt quæ dicunt bene nosse, & vtilia monere existimentur, frustra quodammodo operam suã ponerent: sic constat, Senectutem vtroque hoc nomine, tanta apud omnes auctoritate valere,

vt ei

vt ei vni præ alijs ætatibus, hoc decus tribuendum esse, plerique concedant.

Nam quod ad Senum personas attinet, non quidem absolute affirmamus, eas vt personas publicas habendas esse, sed tamen nemo vt opinor diffitebitur, eos ab ingraueſcentem ætatem, maturitatem, canitiem, aliaque Senij insignia, indicare se a vulgari hominum turba quodammodo exceptos esse, atq; maiore, quã alios reuerẽtia, & existimatione dignos, qui lubrica sæculi huius naufragia, incolumes iam sint prætergressi. Lacedęmonios quidem legimus, tãtum maturæ huic ætati tribuisse, vt digniorem illis locum loquendo, sedendo, aliunde quidpiam agendo, detulerint.

Sed quid Lacedęmonios, aut Græcos nominamus? cum nulla ferè sit natio tam barbara, neque tam immanis, quæ non multo plus honoris Senectuti, quam reliquis ætatibus concesserit? ac Senes ipsos quodammodo non coluerit, & venerata fuerit? quod varijs Rerum publicarum exemplis, & in primis ex Diuinis literis inferius notum faciemus [a].

[a] in par. 3.

Auctoritas in Senectute vnde.

NEc oritur eiusmodi in Sene auctoritas ex rugis, ex canicie, ex annorum multitudine; verum ex communi illa homnium existimatione; quæ de eiusdem consilio, sapientia, temperantia, æqualitate, atque animi moderatione

tione concipi solet, ac quæ Senectutem magnâ dignam veneratione, vel Salomone teste, efficere solet.

Nam cum in rebus difficilioribus tractandis, in controuersijs constituendis, in dandis consilijs, in Republica administranda, quinimo in rebus quoque bellicis exercendis, Senilis prudentia valde eminere soleat; factum est, vt Senum prudentum, & vsu peritorum conspectus, omnium ad se oculos pertrahat; illorum verba tanquam pretiosæ gemmæ, & responsa veluti oracula excipiantur: mores, actiones, exempla, non secus, ac sigilla in hominum animis impressa relinquantur; ac tandem vitæ probitate, & meritorum præstantia tales habeantur, vt omnes illis omnia deferant, nemoque ab eis rem improbã petere audeat.

Hinc igitur videmus & Imperatorum leges[a], & Canonum decreta[b], & sanctorum patrum monumenta[c], vetustatis auctoritatem magna cum honoris testificatione appellare. Hinc etiã scriptores nouimus: sparsim huic auctoritati multum detulisse. Et Quintilianus inter alios: *Senibus* inquit, *auctoritas maior est, quod plura nosse, & vidisse creduntur*[d]. Et alij varijs in locis, multa in eorum decus tradunt[e]; ita vt hæc ipsa auctoritas meritò, *Senectutis apex* à Cicerone fuerit appellata[f]. Cuius exemplum clarissimum nobis ille Sanctus Iob refert[g]; qui quamuis non dum annis esset effœtus, quia tamen moribus erat Senex, hanc secum auctoritatem mirifice de-

duce-

[a] *In aut. de appel. §. Illud. cũ gloss. bc. Domino 50. dist. c. Anteriorum §. illud. 2. q. 6.*
[b] *S. Basil. de inst. Monach. serm. primo*
[c] *Quintil. li. 12. c. 4.*
[d] *Cepol. tract. de Imp. mil. priuileg. 47. Tiraque. in praef. num. 150.*
[e] *Cic. de Senect.*
[f] *Iob. c. 29*

ducebat, quemadmodum enim ipsemet ait, cum in conspectum aliorum prodibat, omnes relictis leuioribus rebus adeo illum reuerebantur, vt iuuenes ab eius vultu absconderentur, maturiores assurgerent, alij à loquendo cessarent, atque in eum vnum, ora omnium conuerterentur.

Hanc item auctoritatem comitatur grauitas, ætatis senilis socia perpetua; quæ loquendo, tacendo, ambulando, sedendo, aut quidquid aliud gerendo, nihil leue, nihil puerile, nihil nisi loco, & tempore congruo, Senem gerere permittit.

Quod adeo verum est, vt sicuti in fidibus musicorum, aures vel minima sentiunt, vt Cicero ait[a]; sic quæ parua etiam possent videri in alijs delicta, nec à multis præcauentur, aut facile à cæteris intelliguntur, diligenter tamen à Sene fugienda sunt, ac ita omnino viuendum, vt grauitati annorum respondeat grauitas actionum, nec vlla vitæ pars ab altera discrepet; & eo etiam magis, quo maior & melior actionum, quàm sonorum concentus est: magna enim sæpe coniciuntur ex paruis[b], ex hilaritate, ex risu, ex locutione.

a Li. 1. of ficiorum.

b Cic li. 1 offic.

HINC QVE fit, vt si Senem aliquem rebus leuibus, aut amatorijs, seu ludricis congressibus, aut cachinnis operam dare reliqui homines videant, statim illum ferè omnes contemnant. Ex quo etiam sequitur, vt actiones, quæ plerumque alijs ætatibus satis honestæ sunt, à Senectute admodum alienæ videantur, vt pater ex versiculis, fabellis, iocis, cantionibus, & alijs

huiusmodi, quæ huic ætati congruere non censentur; cum Senectus ipsa tanquam sapientiæ, sobrietatis, pudoris, sanctitatis, ac virtutis omnis domicilium, sit ab omnibus existimanda: & Senex ipse eam morum cõstãtiam tueri debeat, dum acerbitas ex Catonis sententia absit, vt nullo officij genere claudicet, ac quiduis potius perferre sit paratus, quàm vt vel modicum de dignitatis Senilis gradu, se dimoueri patiatur: existimetque ad se dicta essa verba illa Apostoli [a]: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate morum.*

[a] *Ad Titũ c. 2.*

Epitome superiorum Quibus Christiana vita vt plurimum nititur.

HIs ita explicitis, quamuis ex quinque istis fœcundis, ac validis Senectutis radicibus eximium huius ætatis decus, atque præstantia non obscurè constare possit; attamen vt euidentius adhuc quãta hinc præ cæteris ætatibus exurgat illius dignitas, & amplitudo, omnibus pateat; illud in memoriam reuocandum duximus, totam Christianam perfectionem duobus præcipue cardinibus, ac sedibus contineri; quos sunt vt à peccato abhorreamus, & virtutẽ amplectamur, comprehensa à Dauide prophetа eo versiculo: *Diuerte à malo, & fac bonum.*

[a] Quę duo cum nequeant ab homine, absque diuinę

diuinę gratię auxilio (sua etiam industria accedente) comparari; nec negandum sit multos in qualibet ętate reperiri, qui magna animi cōtētione vitia profligare, timoremque Dei amplecti studuerunt, & quibus hoc negocium fœliciter (Deo adiuuante) successit.

ATTAMEN si id quod rationi magis consentaneum, & magis verisimile, & frequentius accidit, obseruare velimus; inueniemus inter vniuersos ętatum gradus, & vitę huius status, Senes pręcipuè eos esse, qui longius à delinquendi occasionibus abesse, plusque consilio & prudentia valere, magisque notas dęmonis, & mundi insidias habere consueuerunt; hincque faciliorem etiam semitam nactos fuisse, qua se diuino obsequio consecrarent; ita vt si eorum studia, & actiones cum aliorum ętatibus conferantur, Senes à vitiorum conflictu longe remotiores; & in virtutis stadio longe exercitatiores esse, nemo opinor dubitabit.

Peccata quomodo in Senectute facilius quam in alijs ætatibus vitentur.

AC vt a primo incipiamus, quod est peccata vitare, ac à malo diuertere; cum flagitia omnia, quæ aduersus Deum committūtur, nosque ab illius gratia separant, ex triplici præcipue fonte oriantur, quæ sunt, *ignorantia, infirmitas, & malitia*; quis non videt, si singulę ęt a- *a S. Th. 1. 2 q. 76. et seq.*

tes considerentur, longe hæc minora, ac leuiora in Senectute, quam in alijs superioribus ætatibus se ostendere? Nam quod attinet ad imperitiam; si qua est ætas, quæ minus hinc laboret, ea certè est Senectus, quę cum longa temporum spatia dimensa sit, maiorem partem eorum, quę in vita homini accidere possunt, vel vidisse, vel audisse censetur. Quocirca plenius, ac diligentius quàm reliquæ ætates, mala à bonis, ab æternis temporalia, & caduca vitia à virtutibus, recto iudicij discrimine dignoscere valet.

Si vero animi infirmitatem, & sensuum perturbationes inspiciamus, & turbidos animorum motus, vnde peccata multa oriri, & emanare solent; quis addubitabit, hæsce in Sene multo minores, quàm in viro, aut in iuuene reperiri? qui eam præsertim, quæ de vacuitate passionum in Sene superius dicta sunt, paulo diligentius examinarit.

DE Malitia multa restarent dicenda, sed duo tantum strictim attingemus. Alterum est, quod eam in Sene longe minorem, quàm in cæteris ætatibus esse debere, existimandum est: propterea quod mortis imminentis, ac reddendæ rationis occasione, longius illum à flagitiorum sordibus repellendum esse, sit verisimile. Alterum, quod cum peccata malitiæ ex electione oriantur, electio autem ex consilio prodeat; probabile est, Senes quo magis consilio valent, eo procliuiores ad bonum, & remotiores à malo futuros esse[a].

[a] S. Tho. 1.2.q.78. art.1. & 3. & 2.2. q.14. art.1.

Ita-

Itaque cum hoc Senectuti à ſummo Deo priuilegium tributum fuerit, vt effrænatis ſenſum affectibus, & prauis animi perturbationibus, vnde plurima peccatorum, ac criminum pars ſcaturire videtur, minus ſoleat agitari; plus etiam ob propinquum imminentis ferè mortis aduentum, à Dei iniurijs, ac flagitijs temperare conſueuerit, ex rationibus antea à nobis prolatis. Quid mirum eſt, hanc ipſam Senectutis ætatem in hoc, quod ad primum iſtud caput culpæ vitandæ pertinet, cæteris alijs omnibus ætatibus, quę non adeo plene hac munerum amplitudine potiuntur, longe præſtare, maioreque ideo in pretio habendam eſſe?

NEC vero nouum nimis, aut mirum cuiquã videri debebit, nos ita Senectutis annos alijs ętatibus anteferre; cum videamus hominis corpus quod varijs membris conſtat, quę omnia eidem ſunt neceſſaria, veluti eſt pes, manus, auris, brachium, atque alia huiuſmodi; eſſe tamen inter ea quædam alijs nobiliora, ac inſigniora, quod & Apoſtolus teſtatur[a]. Si igitur hęc certa ſunt; quis miretur inter hominum ætates, aliam alijs eminere, & vſui hominis, qui ratione præditus eſt, longe aptioré eſſe? Sicuti inter plantas, arbores, & bruta, quædam alijs excellunt: imo vt ait Apoſtolus[b]: *Stella differat à ſtella claritate.*

[a] 1 ad Corinth. c. 12.

[b] 2. ad Corinth. c. 15.

Quamobrem vt primam hanc partem de malo vitando concludamus; dicimus Senectutis maturitatem vniuerſe loquendo, ideo alijs ætatibus præcellere; quod non adeo vitijs, atque

que sordibus sit exposita ; atque ab ijs cauendis longè alijs sit aptior, & magis accommodata.

In Senectute facilior ad virtutem aditus quam in alijs ætatibus.

QVOD si ad alteram partem, quæ in virtutibus adipiscendis, atque excolendis laborat, animum conuerterimus, non erit nobis opinor, admodum difficile probare, Senectuti quæ magis, quam cæteræ ætates, consilio, prudentia, atque intelligentia pollet, ad virtutes faciliorem aditum patere. Nam vt vnam prudentiam intueamur, quis non videt eam esse in vita hominis, tanquam oculum in corpore, nauclerum in naui, aurigam in curru, & Regem in regno, à quorum vigilantia omnis actionum illorum pendet euentus? quæ ideo in Collatione Sãctorum Patrum, cum de virtutibus acquisitis loquerentur, in altissimo posita fuit virtutum gradu, veluti dux & magistra aliarum, ad quam præcipue conuertere oculos debent omnes, qui in alijs virtutibus vehementius cupiunt proficere. Nec enim hęc virtus vno tantum officij genere continetur, sed pluribus & diuersis ; si quidem non solum est propria & singularis quędã virtus, sed etiam generalis, quę in omnibus aliarum virtutum ministerijs versatur, omnia circumspiciens, omnibus modum & regulam præscri-

scribens, & omnia denique in loquendo, agendo, ambulando, tractando, atque cum alijs res communicando, summa cum moderatione constituens.

Quod si præter prudentiam, & circumspectionem opus est ad mundi fraudes, & dæmonis fallacias detegendas, atque ad dirigendos pedes in viam pacis, diuturna experientia, quę tanquam fidissima tutrix actionum nostrarum, non facile inuolui nos patitur; sed docet nos emergere ex laqueis, & ad ea quę recta, ac solida sunt, tuto contendere: Quod nam vitæ spatium potest hoc ipsum aut melius, aut plenius, quam senij ætas ex his quæ aliàs diximus, præstare? Si etiam in virtutibus decor, grauitas, dignitas, atque auctoritas quædam eminere solet; vnde eam magis licet homini, quàm ex Senectutis maturitate consequi?

Ex his constat satis, hanc ipsam ætatem, quæuis abunde non omnia, quæ homini optanda essent, queat subministrare; quatenus tamen ad hoc bonum virtutis tam comparandę quam exercendę spectat, longo interuallo superiora vitę tempora, pueritiam, adolescentiam, virilemque ętatem antecellere.

Sileni imagines exterius deformes interius elegantes; similes Senectuti.

QVAPROPTER quod veteres de Sileni imaginibus commemorare solent, ad Senectu

nectutem transferri potest. Illæ namque imagines exterius rudes, & incultæ se hominũ oculis offerebant, intus vero pulchræ, ac numen aliqđ torũ referentes cõperiebãtur[a]. Sic Senectus multorũ aspectui abiecta, tristis, horidaq. videri põt; quę tamen si intus excutiatur, ac præclara illius munera, & priuilegia introspiciantur, facile erit discernere, longe eam mentis oculis pulchriorẽ, ac venerabilem magis, atque optabilem accidere; modo ea ratione ac semita excolatur, quæ illius dignitatem, ac præstantiam decet. Talem Prophetarum, Apostolorum, & perfectorum Christianorum, imo Christi Saluatoris nostri vitam fuisse legimus: quorũ humiltas & obiectio cum publice pateret, pulchritudo & dignitas interior occulta erat, ijsque tantum nota & admiranda, qui eam contemplari, & experiri cupiebant.

[a] *Plato in Simposio.*

Refelluntur variæ obiectiones aduersus Senectutem.

SED quoniam satis non est, in rerum disputationibus veritatem ipsam depromere, & comprobare, nisi etiam ea quæ aduersari videntur, de medio tollantur; ita vt mens hominis quocunque scrupulo, aut difficultate sublata, tuto in pacifica veritatis possessione conquiescat.

Ideo nunc nonnulla sigillatim persequemur, aut

aut redarguemus potius, quæ nonnullis aduersus Senectutẽ negocium facessere videntur; imitantes solertes, atque industrios agricolas, qui agrum fertilem nacti, studẽt ex eo, si quæ sunt sentes, rudera, nóxiæ radices, aut alia quæ frugibus possunt obesse, antea euellere, vt eo copiosior messis se proferat. Sic nos animaduertentes hanc ipsam Senilem ætatem non solum apud gẽtiles auctores, de quibus aliàs egimus, sed etiã in Christiano populo, à multis non satis bene audire, eò quòd incommodis ingentibus Senectus circumspecta censeatur; quibus non solum corporis valetudo, & quotidianæ actiones impediantur, sed ẽt animi mores obscurentur, ac mens varijs obnoxia vitiis reddatur: Idcirco difficultates vniuersas grauiores eximendas esse duximus, quæ lectorem nõ admonitum possent remorari, ne Senectutem in honore, ac reuerentia haberet, quæ meritò ei deferenda est.

Hæc autem duplicis sunt generis. Quædam mala pœnæ appellata, quæ corpus tantum vexare, aut etiam mentem solicitam reddere possunt; sed scelus, aut vitium secum proprie coniunctum non habent; quæ tanquam leuiora, & quæ vel si patienter tolerentur, vtilitatem afferre, vel mediocrum curatione mitigari, & repelli possunt, in præsenti omittimus; præsertim cum de ijs in prima parte, cum gentilium sententias persequeremur, satis à nobis actum fuerit.

ALIA sunt grauiora, & ex eo genere malorum, quæ mala culpę nuncupantur; & ideo proprię

priè mala à ſacris Theologis dicuntur[a]; quippe quæ peccati crimen continent, conſcientiam onerant, diuinam gratiam, ſi mortifera ſint, auertunt, atque æternam ſalutem in periculum adducunt; quorum ratio cum in nouiſſimò die ſit reddenda, ideo longè cautius ſunt vitanda. Et quoniam huius generis non pauca aduerſus Senectutem obijci ſolent, quę illius ætatis propria, aut maxime illi affinia eſſe iudicantur, ac proinde ſi eiuſmodi eſſent totum Senectutis Bonum euerterent, atque extremam illam ætatem in magna miſeria collocarent; Propterea neceſſarium duximus, ſingula hæc diligenter excutere; vt illis ex receptis auctorum decretis funditus ſublatis, Bonum Senectutis eò clarius, & illuſtrius reddatur.

a S. Th. in 1. q. 48. et in 1. 2. q. 39. art. 4.

Prima obiectio ex annorum incremento Senectutem inquinari.

PRIMVM obijcitur, quò plures in Senectute accumulantur anni, eo plurimum peccatorum ſegetem ſuccreſcere, & tanto maiore hominem onerari ſarcina criminum, cum quęque dies ſuam habeat malitiam, & nec infans vnius diei, vt dicitur, mundus ſit & immunis à ſorde. Vnde Iacob dicebat[b]: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt parui, & mali, &c.* non quia dies mali, ſed quia nobis acceſſu dierum, malitię incrementa cumulantur;

b Geneſ. c. 47.

nullus

nullus enim dies sine peccato nostro pręterit, vt ait Sanctus Ambrosius a. Quo fit, vt cum singulis diebus accedant peccata peccatis, acta humanę vitę eo duriora, totusque rerum examinandarum cumulus eò difficilior, prolixior, ac grauior reddatur. Hincque non solum non videtur Senectus bonum, quod profitemur, sed potius malum afferre, quia auget nos diebus, qui mali sunt.

a S. Amb. de bono mort. c. 26

VERVM respondetur, dierum accessione ex Dei bonitate, multiplex lucrum prouenire, si quis eis rectè nouerit vti, non solũ ad pręteritas culpas plenius recogitandas, & per diuturniorẽ pœnitentiam, ac pia opera quamplurima delendas, sed etiam quia cautior Senex redditur ad futnra discrimina euitanda, cum superiores ętates adhuc indomitis cupiditatum stimulis exagitatæ, facile in peccata incidere consueuerint.

Præterea cum annorum maturitate, dubium non est luminis plus augeri ab bona plurima cõsectanda; ex quo sperari potest, hominem tandem cognitis mundi fallacijs, facilius ad Deum toto pectore conuertendum.

Vnde quod dicebatur, singulis diebus nouorum criminum occasionem exoriri; potest id in leuioribus quibusdam erratis admitti, quę etsi retardant, tamen salutem æternam haud prorsus impediunt, & quæ cum Dei gratia, maiorum meritorum numero possunt compensari; & propterea vbi ad summam ętatem Senex peruenit, reddendęque rationis sibi terminum instare animaduerti,

maduertit; sperandum est potius, vetera peccata cum nouę vitę lucro posse redimere; quàm verendum, ne veteribus flagitijs noua in dies ad damnationem accumulentur.

Maxima enim esset Senis obstinatio, si mortem aduentare pręsentiens, animo non commoueretur; qui quasi ad ostium huius mundi positus, foris spectans, vitę tamen pręsentis haud attenderet egressum, nec futurę consideraret ingressum, audiret nuncios mortis, & credere nollet eis. Nam vt Sacri Doctores aiunt[a], cum tres sint mortis nũcij, casus, infirmitas, senectus: casus dubia, infirmitas grauia, Senectus certa nũtiat: casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, Senectus pręsentem; ex incertitudine mortis timor, ex infirmitatis grauitate dolor, ex certitudine Senectutis, non obstinatio, sed afflictio & humilitas sequi deberet.

[a] Hugo, de claust. anim. lib. 2. c. 15.

Secunda obiectio quod multis destituatur spiritualibus auxilijs.

SECVNDO obijcitur, Senectutem multis spiritualibus auxilijs destitutam inueniri, quibus superiores ętates minime carere solent; ideoque satius videri, vitę exitum ante hanc ętatem pręueniri, cum in ea nec ieiunia, nec peregrinationes, nec vitę austeritates, corporis, castigationes, Missarum sacrificia, infirmorum visitationes, hospitalium procuratores, assiduitasque

duitasque in Ecclesijs, & alia huiusmodi multa possint exerceri, quibus animæ salus plurimum adiuuetur, & maioribus gratiæ meritis apud Deum augeatur.

VERVM cum neque à sapiente, neque à Christiano viro, præter culpam, quicquam fugiendum aut timendum sit; & actiones externæ quamuis ad merendum plurimum conducant; radix tamen omnis meriti, quatenus in eis reperitur, potissimum in voluntate diuina gratia informata consistat: Imo actus ipse exterior suapte natura, nec meritum, nec demeritum, nec laudem, nec vituperium cõtineat, nisi ratione actus interioris a. Idcirco quæ ætatis imbecillitate nobis obueniunt, quod aliàs etiã supra attigimus, quoties promptum ea exequendi, si vires suppeterent vigeat in nobis desideriũ (quod in Senectute certum est inesse posse) hæc apud clementissimum Deũ non solum vitio nobis adscribi, sed instar boni operis coronari exploratum est; animi. n. promptitudo rei ipsius vicem explere solet, cũ deest facultas exequendi.

a S. Th. 2. 2. qu. 20. art. 2.

Prẽterquam quod plurima sunt, quę etiã in lecto decumbentes, Deo gratissima prẽstare pos sunt, vt iam aliàs dictum est; orando, contemplando, ingemiscendo, alios cohortando, & patiendo, & denique si quę sunt, quæ Senectus ob vires corporis effœtas obire non valeat. Sunt etiam alia multa longe maiora, in quibus ipsa se exercere potest, quæ diuinæ bonitati maxime sunt accepta.

Quamobrem si desumpta vtrinque omnia inter sese conferantur, apparebit, alteram hanc lancis partem, vbi charitatis, patientiæ, longanimitatis, deuotionis, aliorumque meritorum pondera congesta sunt, longe multumque alia superiorem esse.

Tertia obiect. Quod Senectus sit in Iracundiam prona.

a S. Gregor. lib. 31 moral. ca. 17. S. Th. 2. 2. q. 158. ar. 6.

TERTIVM Quod Senectuti obijcitur illud est, eam scilicet ab iracundia maxime vexari, quę inter vitia capitalia recensetur[a], cui ex ea multa mala oriantur. Vnde Aristoteles ait[b], iras Senum acres, & acutas esse. Quod quidem non solum bono Senectutis, de quo nos agimus, refragari videtur; sed etiam potius declarat, non leuem iracundiæ perturbationem cum ea coniunctam esse[c].

b Rheto. lib. 2. cap. 13.

c Io. Cass. de spiritu Ira. cap. 8.

Hinc quę in psalmo dicitur[d]: *Desine ab ira, & derelinque furorem.* Et Apostolus[e]: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à vobis.* Et Christus Dominus ait[f]: *Qui irà scitur fratri suo, reus erit iudicio.*

d psal. 36

e Ephes. c. 4.

f S. Matth cap. 5.

Sunt qui respondent, ea, quæ ira impellente committuntur, culpam magna ex parte excusare, eo quod actus illius impetu factus, subito veluti furore excitatus, habeat vt ipsi vocant, similitudinem inuoluntarij. Et ideo factum eius calore, dicunt Iurisconsulti[g], mitius puniendum esse.

g l. aut. facta. a causa, de pun. Tiraq. de pœna remittend. ar. 1.

esse. Sed hæc ratio cum iracundiam non liberet ab omni culpa, rei nostrę minime est accommodata.

VERVM animaduertendum est, iram proprie loquendo: & suapte natura non esse peccatum [a], sed passionem, appetitus sensitiui, cuius vsus potest esse bonus, & malus [b]. Hinc videmus, sacras literas frequenter iram, & furorem, & vindictam Deo tribuere, prout in psalmo [c]. *Iratus est furore Dominus:* Et: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt* [d]. Quod non faceret, si ira per se malum, & peccatum esset. Nec Saluator noster humanam carnem induens, iræ affectum suscepisset, si necessario ea fuisset cum vitio coniuncta [e].

Vnde quod ab ipso Domino dictum fuisse legitur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, in Græco codice additur dictio εἰκῆ, id est immeritò, ac sine causa; quo fit, vt non omnis damnetur iracundia, sed iniusta duntaxat, & à recta ratione abhorrens. Fuit enim hęc olim Stoicorum opinio, qui ἀπαθείαν quandam aduersus naturæ leges inducere voluerunt, quæ ab alijs philosophis, & theologis grauiter fuit damnata [f].

Quando igitur iræ affectus, ordine & ratione exercetur, tantum abest, vt peccatum contineat, vt actus sit virtutis. Hinc sanctus Basilius in hūc sensum [g]: *Ira* inquit, *bonarum actionum sæpe ministra est, cumque ratione ducitur, fortitudinem, iustitiam, constantiamque parit.* Et ideo veteres hanc, fortitudinis cotem appellabant [h]. Et [illegible]

a S. Tho. 2.2.q.158 art.2.

b S.Tho. q.158. art.1.

c psl. 105.

d.psal.78

e S. Tho. in 3.q.15 art.9.

f S. Aug. li.9.de ciuit.Dei. c.5. & lib. 14.c.7. Lactant. li.6.c.15. S.Th.1.2 q.24.art. 2.

g.homil. 10. cõtra Irascẽtes.

h Cicer. in Tusc. cul.4.

a S. Gregor. lib. 5. moral. c. 3.

Gregorius inquit [a]: *Quando ira, vt instrumentum virtutis assumitur, quasi ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam discedat.* Et S. Chrysostomus: *Aliquem* inquit *percutere, absolute non est atrocitatis; sicut nec alicui parcere, est mansuetudinis; sed interdum vitij vtrumque erit, si intempestiue; interdum virtutis, si opportunè adhibeatur.*

ITAQVE vt obiectioni respondeamus, qua significatur, Senes valde iracundos esse. Non negamus aliquos reperiri, qui hac imperfectione laborent, cum sibi imperare nesciant: sed tamen non est id illis Senibus commune, qui prudentia, quæ proprie Senum est, vti norunt. Nam liquet, duos præcipuos affectus à Deo humanæ naturæ ingenitos fuisse; alterum, quo concupiscendi vis; alterum, quo irascendi motus continetur. Priore illo, vt ea quæ bona sunt, ac salutaria quærerétur; posteriore, vt ea quæ vitiosa sũt, repellerentur [b].

b S.Th. 1. 2. qu. 23. ar. 1. & sequen.

Itaque dum ad hunc finem vitandi crimina, iracundia homini fuerit tributa, in Senequè maxime vigeat præ alijs ætatibus prudentia, & experientia; dubium non est, vbi agetur de peccato propulsando, & de iniquitate fuganda, iustũ esse locum tunc iracundiæ exercendæ, dummodo rationi non repugnet. Hinc enim scriptum est [c], *Irascimini, & nolite peccare*; ideſt; irascimini peccatis, irascimini scelerib. excãdescitecõtra blaspemiã cõtra obtrectationes, fraudes, periuria, obscœnitates, & alia quæ Deo inuisa sunt. Tunc enim

c Psal. 4.

enim non damnanda est iracundia, sed etiam acriter excitanda & euomenda, quoniam ob id præcipue nobis à Deo insita fuit. Hincque auctor operis imperfecti sensit [a], eum qui cum debet irasci, non irascitur, peccare. *Patientia enim præter rationem susceptа, inquit ille, est potius stupor quidam mentis, qui vitia seminat, negligentiа nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos inuitat ad malum: qui autem opportune excandescit, virtutem exercet præstantissimam; illius enim ira non ex perturbatione oritur, sed ex iudicio;* nec tunc ira sci dicitur, sed iudicare [b]. Et Sanctus Chrysostomus docet [c]; minimè illis succensere, qui publicam perturbant vtilitatem, non esse virtutis, sed vitij, non mansuetudinis, sed ignauiæ. Nam *lætabitur iustus*, ait Psalmista [d], *cum viderit vindictа, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

[a] S. Chry. ho. 11. in S. Matth. oper imp.

[b] S. Th. 2. 2. q. 158. art. 3.

[c] S. Ioan. Chrysost. in ps. 131

[d] Ps. 57.

Ex quibus sequitur, iracundiam in Senibus ideo videri quasi propriam, quia cũ ipsi ex multo, & diuturno rerum vsu satis experti fuerint, quot damna secum vitia afferant, quam vberes ex virtute fructus colligantur; non possunt non maximè commoueri, & in iram prorumpere, cum vident aliquem à recto virtutis tramite discedere, & in scelera effrænatè præcipitari. Vnde iracundia, quæ alijs ætatibus sæpe in peccatũ vergit, Senectuti laudem comparat, cum illius feruore bene vtitur; prout ætatis maturitas, & consilium ei suadere debet. Quare Aristoteles scripsit; *Iram in Senibus acrem esse, sed infirmam* [e].

[e] Reter. li. 2. c. 13.

Quarta obiectio ob breuitatem vitæ.

QVARTO nonulli ita obijciũt. Si tota vita, quæ præ illius breuitate tanquam punctum est, rationem boni & perfecti habere non videtur; cum perfectum debeat esse constans, nec cito transiens, vtique vitæ extremo spatio minus aptè conuenire bonum poterit, sed potius malum. Nam cum Bonum sit cum virtute coniunctum, quæ requirit diuturnam exercitationem, assiduum laborem, & plurimum temporis, non solum vt acquiratur, sed etiam vt acquisita conseruetur: Malum autem cum ex quocunque defectu cõtrahatur, & breui quasi momento commiti sit facile, propterea hæc Senectutis ætas, quæ est totius vitæ meta, & vltima periodus, ac tanquam antecedentem pueritiæ, iuuentutis, & adolescentiæ terminans cursum, non videtur præ illius breuitate ita ad bonum apta, sicut ad malum, ac proinde neque rectè conuenire huic commentario titulum de Bono Senectutis.

Verum respondetur, totam quidem hominis vitam præ temporis æternitate, vix momentum videri: sicut & orbis terrarum, præ totius cœli amplitudine, vix puncti loco censetur.

Attamen quo ad homines attinet, non est breuis vita, si tota benè collocetur: est longa potius, & nimium lõga, si tam multa respiciamus, quæ

quæ ſeculi homines inanib. voluunt cogitationib. Nos inquit Seneca [a], *non accepimus breuem vitam, ſed fecimus; neq; inopes eius, ſed prodigi ſumus; ſicut amplæ & Regiæ opes, vbi ad malum Dominum peruenerunt, momento diſſipantur; at quãuis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, vſu creſcunt: ita ætas noſtra bene diſponenti multum patet.* Et Quintilianus cum multis rebus enumeratis dixiſſet [b]: *Quæ quidem poſſumus omnia; ſed breue nobis tempus nos facimus.* Et paulo poſt: *Alias horas vanus ſalutandi labor, alias ſpectacula, alias conuiuia, alias deambulatio, calculorum ſolicitudo, vinum, & voluptas trahunt; quæ ſi omnia ſtudijs impenderentur, iam nobis longa ætas, & abunde ſatis tribueretur.*

[a] Sen. de breuit. vitæ c. 1.

[b] Lib. 12. c. 11.

Quamuis autem ad mala facienda breuior via, & facilior, quàm ad bona videatur ex naturæ corruptione; non impedit tamen, quin bona maxima, & plurima, hac præſertim ætate, affectibus iam repreſſis exerceri liberè & cito poſſint. Et ideo quamuis ea ætas ſit cæterarum terminus, & quaſi punctum; eſt tamen illi facilis, impedimentis vitiorum iam ferè ſuperatis, ad virtutem omnem acceſſus; vt quæ in bonis moribus eſt dulcior, in conſilijs vtilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior: infirmitas quoque corporis, ſobrietas mentis eſt.

[c] S. Amb. in Hexamero l. 1. c. 8.

ADDE quod non deſunt multorum exempla, qui cum annorum diuturnitate, Dei timore, ac virtutum merita coniunxerunt; quibus illud

a Psal. 90

pphetæ cõgruit a: *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Sicut & alij multi extiterunt, quibus brevitas vitæ nihil obfuit, cũ annis adhuc recentes, diuturnitatis opera quamplura exercuerint: Inter quos Valerij Petroniani nomen memoratur, qui annos tres & viginti natus, non solum diuina, humanaque iura calluit; sed etiam medicinam, politiamq; professus, legatione vrbica, & peregrina quinquies defunctus est. Vnde Græca appellatione εὐσεβέστατος dictus, quod breui multa percurriſſet b; vt omittamus tam multos alios adoleſcentulos, tenellasque virgines, quæ sanguinis effusione eximiam suam virtutem testatæ sunt c.

b Alcinat in proœ. li. 6. paradox.

c in Martyrol. Ro.

Quinta obiectio cum Senectute varia vitia iungi.

QVINTO sunt nonnulli qui obijciant: quemadmodum orientibus, & flantibus austris, iactantur maria, surgunt procellæ, nauigia huc illuc voluũtur: sic Senectũ tẽ suapte quasi natura multa secum varia, perplexa, ac potius reprehensione digna adducere; cum deprehendatur esse d suspicax, loquax, præterita commendans, præsentia damnans, inuerecunda, pusillanimis, morosa, difficilis intractabilis, in colloquijs vtẽs verbis dubijs, *fortè*, & *forsitan*, amicitiæ parum tenax, incredula, sine affectione erga alios, sui tm̃ amans, atq. alijs multis admixta cul-

d Aristot. in Rhet. c. 13. & Eth. 8. c. 5

pis

pis. Vnde carmina illa fatis vulgata Horatij:[a]

Multa Senem circumueniunt incommoda, vel quòd
Quærit, et inuentis miser abstinet, ac timet vti,
Vel quòd res omnes timidè, gelidcq; ministrat;
Dilator, spe longus, iners, auidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puèro, censor, castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt, &c.

[a] Horatius in Poetica.

Et Iuuenalis[b];

Sed quàm continuis, & quantis longa Senectus
Plena malis? Et quæ sequuntur.

[b] Iuuen. satyr. 10. antemed.

Et præterea tot alia multa eiusmodi ab aliquibus colligi solent; *vt quemadmodum* inquit Seneca[c], *in naue; vni vel alteri rimæ obsistitur; at vbi plurimis ea locis laxari cæpit, & cedere, succuri non potest nauigio dehiscenti: Ita in senili corpore aliquatenus imbecillitas sustineri, & fulciri potest; at vbi in illo tanquam in putri ædificio omnis iunctura dilabitur, & dum alia excipitur, alia discinditur; tot videntur vndique miseriæ iminere, vt omnis spes illius instaurandæ præcidatur.*

[c] Seneca Epi. 30.

Verum, vt inquit Cicero[c], multa ex his non sunt vitia Senectutis, sed inertis, ignauæ, somniculosæque Senectutis; vt petulantia non omniũ est adolescentum vitium, sed impurorum tantũ. Nos verò cum Senem dicimus non eum intelligimus, qui ad eam ætatem, tanquam portum quietis peruenerit, & cui amplius ne mente quidem sit laborandum; sed qui varijs adhuc cogitationũ tumultibus, quales illa fert ætas, ac vitiorum

[c] Cic. lib. de Senectute.

tiorum ſtimulis quibuſdam agitatus ; nouit tamen prudentia, vigilantia, ac experientia, eadem præcauere; ac ſobrietatis, temperantiæ, & ſapientiæ præſidio conſtanter ſuperare.

PRAETEREA ea omnia, quæ ſupra numerata ſunt, cõſtat eiuſmodi eſſe, vt inter grauia vitia, & nefaria ſcelera, nullo modo ſint habenda; ſed ſicut dici ſolet, optima etiam vina ſuas fæces habent, nec illæ vini ſuauitati, fragantiæ, aut generoſitati quicquam detrahunt; ex quibus præcipua vini virtus ſolet æſtimari: Sic in Senectute, cum ſapientia, conſilio, temperantia, ſobrietate, circumſpectione, maturitate, alijſque innumeris virtutibus, quæ infra oſtendentur, affluat; ſuperiores maculæ valde leues cenſeri poſſunt, ſi cum virtutibus comparentur, cum facile ab ipſis virtutibus obruãtur; & præſertim quia ex his etiam minutioribus lapſibus aut ſuperatis, aut repreſſis, vir ſapiens fructum facere non obliuiſcetur, ſi omnia hæc, quantum fieri poterit, ad meliorem aliquem vſum referre conabitur.

Et denique etiam extremo loco id non omittimus quod multi obſeruarunt, Senectutem non in ijs rebus tantum, quæ ad animum, ſed etiam quæ ad corpus ſpectant, ſui non carere priuilegijs, & inter cætera, quod ex Hippocratis ſententia, ſolent Seniores vt plurimum, minus quàm iuuenes ægrotare [a], & facilius quàm alij ieiunia, & inediam ferre [b]; vnde hinc poſſunt multa alia corporis damna compenſari.

[a] Hippoc. Apor. 99.
[b] Hippoc. Aph. 53.

Sexta

Sexta obiectio, crescere quotidie fallacias & insidias aduersus Senectutem.

SEXTO obijcitur; ex annorum incremento maiora quotidie deprehendi damna, fallacias, & mundi insidias, quas satius fuisset tempestiue vitasse, vt ex ijs intacti elaberemur; & pſertim quia si omnium consensu magna est miseria & pœnæ, & culpæ in tota vita; maior vtiq; & cumulator est in Senectute, quæ omnia fuit experta.

Verum respondetur, ex his fructum etiam colligi maiorem, sicut ab inimicis; qui reddunt homines cautiores, dūmodo eorū dicta obseruétur; hincque solitum fuisse dicunt[a], Philippum Regem de Athenienſibus affirmare, sibi eorum maledicta valde profuisse; abstinebat enim vitijs, vt eos mendacij conuinceret.

Accedit, quod veluti gratissima sunt poma cū fugiunt, & deditos vino potio extrema delectat; ita iucundissima est ætas deuexa iam, quę secum memorat, se effrænes cupiditates fugasse, ac reliquisse[b].

[a] Plutar. in opusc. de utilitate ex hostib. capiena.

[b] Senec. Epiſt. 12.

Septima obiectio: de tristitia iuncta Senectuti.

ILLVD etiam opponitur, quod Senectuti coniuncta est tristitia, & querimonia: quæ quidem

quidem indicant, potius cor hominis à Deo auersum esse, quam illi coniunctum, cum ipse dicat
a Ps. 104. per prophetam a: *Lætetur cor quærentium Dominum.* Et per Apostolum b: *Gaudete in Domino*
b ad Philippen. 4. *semper, iterum dico gaudete.*

Verum aduertendum est, tristitiam, & gaudium perturbationes esse, quæ per se neque virtutes sunt, neque vitia; sed prout applicantur alicui malo, damnanda sunt, & prout alicui bono, laudanda c. Hoc autem præstare, vt de malo tantum tristemur, & de bono lętemur; non omnium est, sed indigent ista iudicio, & circumspectione. Hincque dicebat Amos propheta d: *Vocate ad planctum eos, qui sciunt plangere*; Sicuti nec omnes norunt bene lætari. *Nam* inquit Sapiens e, *multi lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Vnde propheta dixit f: *Psallite sapienter.*

c S. Th. 2. 2. q. 35. ar. 1. ad primum.
d Amos. c. 5.
e Prouer. c. 2.
f Psal. 46

Illud itaque non negamus, Senectutem habere tristitiam sibi adiunctam; sed hãc non à Deo alienationem, sed potius coniunctionem ostendere affirmamus. Quis enim sanæ mentis, admissa à se crimina, violatamque Dei legem non
g Ps. 118. ex animo ingemiscat? cum & Dauid dicat g; *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Quis communem cæcitatem, & diuinorum beneficiorum oblivionem publice grassantem, totque scelera, quę passim committuntur, nõ lacrymetur? Sic Dauid h: *Videprænaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt*, Sic Hieremias propheta i:

h Ps. 118.
i Hiere. 9.

Quis

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die, ac nocte interfectos populi mei? Hoc & Saluatorem nostrum nō solū verbis admonuisse fideles omnes legimus, cum ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* a; sed etiam exemplo suo nos docuisse scimus, qui varijs iustis occasionibus tristatus est, & præsertim cum videns Ciuitatem, fleuit super illam dicens b, *si cognouisses & tu, &c.*

a S. Aug. lib. 1 medit. c. 36. & de cōflictu vitiorum c. 21. Gregor. Nysse serm. 3. de beatitudine.

b S. Luc. c. 19.

Quapropter cum Senum proprie sit ex longo vsu & prudentia, ea cognoscere, quę vere dolenda sunt, & vitæ suæ exemplo alios instruere; tantum abest vt debeant illi, ex moderato, quem contrahunt ob mundi huius calamitates mœrore, accusari, vt potius magnam mereantur commendationem; quod tunc ex tristitia, tanquam ex vbere bonitatis solo, præclara virtus efflorescit, quæ illos ad beatitudinē comitatur.

ACCEDIT alia ratio in Senibus tristitiæ huius concipiendæ, quę oritur ex iudicijs diuinis, & rationis proximę reddendæ recordatione. Nā quamdiu hic sumus, anima voluptatum illecebris delinita, ægre admodum solet ea, quę tristia videntur, animo admittere: cum vero migratura est è corpore, longè aliter afficitor, quippe quæ ad ipsius iudicij limina videt se peruenisse; non secus ac latrones c, qui quamdiu carcere detinentur, absque metu degunt; vbi vero ad patibulum sisti cæperint, soluntur metu, & vehemēter tristantur. Verum hæc tristitia Senum, quę ex Christiana philosophia oritur, maximē est salutaris.

c Chrys. ad Tim. 2. homil. 5.

lutaris, cum dicat Apostolus [a]: *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem operatur.* Et beatus Petrus [b]: *Nemo*, inquit, *vestrum patiatur, vt homicida, vt fur; si autem vt Christianus, non erubescat.*

a 2. Cor. 7.

b 1. Petr. c. 4.

Octaua obiectio quod nimis vino & potationi indulgeat.

OCTAVVM Est, in quo solet Senectus accusari, quod nimium potationi vini indulgeat; nam vulgo dicitur, vinum lac Senum esse. Et quamuis in omnibus generaliter sobrietas exigatur, dicente Ecclesiastico [c]: *Aequa vita hominis, vinum in sobrietate potatum*, Et Apostolus omnes monet [d]: *Vt sobrie, iuste, & pie viuamus.* Attamẽ videmus in Sene nominatim hoc ipũs ab Apostolo requiri, cũ scribat ad Titũ *vt Senes sobrij sint.* Et alibi scribens ad Timotheum, quẽ iam præfecerat Ecclesiæ, inquit: *Ministerium tuum imple, sobrius esto.* Et alibi [e]: *Modico vino vtere.*

c Eccles. c. 31.

d ad Tit. c. 2.

e Epist. 2. c. 4

Verũm animaduertendum est, hoc idem etiã in iuuenibus, & mulieribus ab Apostolo postulari, cum scribens ad Titum inquit [f]: *Iuuenes similiter hortare, vt sobrij sint.* Et ad Timotheum: *Mulieres similiter pudicas, sobrias* [g] &c. Et ad alios in vniuersum ait. *Fratres sobrij estote, & vigilate.* Ideo cum sobrietas sit pars temperantiæ, & [illegible]tus [h]; dubium non est, [illegible] Seni-

f 1. ad Tim.

g ad Tit. c. 4.

h 1. ad T[illegible]

bus, siue iuenibus, aut mulieribus, siue quibuscũque alijs, generaliter postulari.

Vnde non ex eo Senes ad sobrietatem admonentur, quia ipsi ebrietatis vitio magis; quàm alij laborent; cum imoob id præcipuè ebrietas damnetur, quia concupiscentias delectationum maximè excitat, quæ ratio in Senibus, ob feruorem ætatis iam compressum, non ita viget: Verũ quoniam debent ipsi alios erudire; & exemplo alijs esse, periculumque est, ne immoderatus potus eos ab iis moribus distrahat; ideo monentur, vt temperantiam, & sobrietatem adhibeant [a]. Quod præcipuè ad Reges, Episcopos, Magistratus, & alios, qui populos gubernant, atque ad omnes Ecclesiæ ministros, qui spiritualibus officijs incumbunt, debet pertinere [b].

[a] S.Th.d. q.149.ar. 4.

[b] S.Th.d. qu. 149. art.4.

Sed non hinc arguitur, Senectuti hoc vitium magis, quàm alijs ætatibus, aut statibus hominũ adscribi. Nam etsi concedatur, illos fortè alijs procliuiores esse ad vinum; quia tamen eorum natura deficiens, id loco remedij quodammodo requirit, non est illis in vitio ponendum, dummodo modum non excedat; ad quod periculum respiciens scriptura, horatur Senes vt sobrij sint.

Nona obiectio; Senes erga nepotes & posteritatem nimis affectos & solicitos esse.

NONO sunt multi, qui hoc peculiare Senectuti vitium adscribant, quod ea ætas nimium

miuin posteritatis suæ, filiorum, nepotum, ac familiæ amans sit: quippè quæ eos non solum naturali illa beneuolentia, & charitate complectatur, qua solent aliarum ætatum iuniores parentes erga suos affici; sed ẽt nouo quodã, & inuisitato studio in eos eousq, ferantur, vt Senes grauitatis illius obliti, quam secum maturitas annorum ferre solet, mollitiem quãdam animi, ac nimiam quasi teneritudinem erga coniunctos induant, omnibusque in eos sese effundant sensibus; ita vt cum ijs cibum sumere, cum illis ambulare, eosdem ante oculos assiduò habere, cum illis (etsi iuniores sint) colloquia parum illi ætati congruentia miscere non vereantur, ac tantopere illorum consuetudine exhilarentur, vt planè repueraſcere videantur.

Hinc que eosdem opibus augere, dignitatibus amplificare, diuitijs locupletare: hinc ædificia illis, magnaque monumenta erigere: hinc imagines, ac titulos eis struere anxij semper, & solliciti sint; ac (quod grauius est) continenter illis arcam implere, ac thesaurizare non desinant. Vnde Saluator noster cum huiusmodi affectum in via salutis admodum periculosum cerneret, dixit [a]: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et alibi [b]: *Cum facis prandium, ac cœnam, noli vocare neque fratres, neque natos*; Atque ideo Sacri Doctores, San. Basilius, S. Chrysostomus, Sanctus Augustinus, & alij

[a] S. Luc. c. 14.

[b] S. Luc. c. 24.

alij tradiderunt[a], cum hoc immodico erga consanguineos studio, pericula varia coniuncta esse, ac plurimas in hominum corde sordes, ambitiones, cupiditates, ac licentias delitescere, hæc ipsa liberorum, & hæreditariæ successionis specie vigentes.

VERVM animaduertendum est, amorem erga coniunctos ex se, & absolute non esse damnandum, imo si debita ratione, congruoquè modo exhibeatur, maxime commendandum. Nam cum in charitate, quæ summum inter virtutes locum obtinet, suus sit ordo obseruandus; constat Deum in primis, post nosmetipsos, inde consanguineos, cęteris paribus, præ alijs diligendos esse[b]. Vnde Apostolus dicebat[c]: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*. Quod tamen non aliter, quàm congruente ratione obseruata accipiendum esse, sacri Doctores affirmant[d].

Nam si, vt modo dicebamus, post Deum debemus prius nos ipsos, quàm cæteros diligere; & tamen inordinatus, vt aiunt, suiipsius amor, non solum turpis est, sed principium est omnis peccati[e]; multo magis damnandus est, qui affectu in propinquos immoderato fertur, nec debitum in ijs diligendis modum adhibet ita vt propter illos à Dei præceptis quocumque modo diuertat; cum coniunctos, & alios in Deo tantum, & illius ratione, colere debeamus[f].

a S. Basil. homil. S. Chryso. ho. de gratijs Deo reddẽdis. S. Aug. ps. 108. & S. Hier. cõtra Iouinian. lib. 2.

b S. Th. 2. 2. qu. 26. art. 1. & seq.

c 1. Ad Tim. cap. 5.

d S. Aug. l. de doct. Chr. cap. 28. & S. Amb. li. 1. off. c. 30. & est probanda. 86. dist.

e S. Th. 1. 2. q. 77. art. 4.

f S. Th. 2. 2. qu. 25. art. 6. et 9.

Quocirca ea, quæ antea ex sacris litteris quasi repugnantia propinquorum charitati deducebantur, & fere aliena ab hoc præsenti sensu videri poterant, sic omnino sumenda esse Sacri Theologi consentiunt; vt scilicet in consanguineis diligendis, nihil prorsus, quod erga Deum charitatis, aut præceptis eius repugnet, vnquam deprehendatur[a].

a S. Th. 2. 2. qu. 26. art. 2. & q. 31. ar. 3

QVOD cum ita generatim se habeat; tum illud singulariter obseruandum erit, in hoc ipso etiam affectu, qui propinquis debetur, aliud sæcularibus viris, aliud Ecclesiasticis congruere. Nam cum duplicia sint opera Dei, quædam naturæ, quædam gratiæ, & finis operum naturæ is sit, vt res in suo statu conseruentur; vnde videmus omnia ab ea genita semper illa appetere, quæ ad naturæ suæ statum retinendum necessaria sunt; prout in corporibus tam simplicibus, quàm mixtis, elementis, plantis, animantibus, euenire videmus, quæ omnia ad sui conseruationem natura diriguntur: nil mirum est; si & sæcularibus viris, quibus naturalis quidam status relictus est, congruit etiam valde, & filios, & successores, & posteros, moderata tamen ratione, fouere.

CONTRA vero Ecclesiasticis, qui ad altiorem gratiæ statum fuerunt vocati, fuit etiam sublimior alia solicitudo à Dei prouidentia assignata; nempe vt à popularibus curis segregati, [illegible] diuino cultui peculiariter ascripti, non hæc q[illegible] terren[illegible]æ, sed quæ cœlestis successionis sunt, tore

pecto-

pectore procurarent; & propterea quatenus Ecclesiasticam personam gerunt, cum eorum status, eos semper sursum ascendere debere admoneat; rem nimis absurdam, ac muneri suo quasi repugnantē gererent, si cum ad superna adspirare, atque alios exemplo suo ad cœlestia pascua euehere debeant, ipsi terreno hoc affectu deorsum potius tendere, & ad ima se conuertere dignoscantur.

HINC cum Saluator noster dixisset Matri suæ [a]: *Quid mihi & tibi est Mulier?* Et alibi, ad eos qui dixerant: *Ecce Mater tua, & fratres tui fortis stant volentes te videre, & quærentes te alloqui*, respondisset: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse frater meus, & soror mea, & mater est*: notarunt Sanctus Augustinus [b], & alij [c], grauissimam hanc esse instructionem eorum, qui Ecclesiasticam vitam amplexi sunt; vt in negocijs spiritualibus, & quæ illorum gradus sunt, propinquorum affectu, ac carnis cognitione non ducantur.

Cuius rei insigne exemplum extat propinquorum Archiepiscopi Cyrilli, quos cum successori suo Dioscoro enixe commendasset, vt ipsius foueret genus; ille grauiter in eos inuectus fuit: *vetus exemplum* (vt ait nobilis scriptor [d]) *frequentius iteratum, de his quæ pati soleant, siue iuste, siue iniustè ditati Episcoporum affines.* Vnde à Michæa propheta dictum fuit: *Audite hæc Principes domus Iacob. qui omnia recta peruertis, qui ædificatis Syon in sanguinibus; propter hoc*

a S. Mar. 3. S. Luc. 8.
b In S. Io. tract. 8. c. 2. & in lib. 21. de Ciu. Dei c. 26.
c Relati apud Stapletonum in promp. mora. Domi. 2. post Epiphan.
d Cæsar Baron. Cord. in Annal. Eccles. tom. 6. a. 445. pag. 29. & 30. M[illegible] c. 3

causa vestri, Syon quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit.

QVOD autem ad redditus Ecclesiasticos pertinet; non prohibetur Episcopis, aut alijs bonorum eorum curatoribus, si consanguineos pauperes habeant, quin possint illis fructus Ecclesiasticos, vt pauperibus distribuere; quod à Sacro Tridentino Concilio clarissimis verbis expressum fuisse constat [a].

Sic olim & summos Pontifices, & Archiepiscopos, Episcopos, aliosque insignes Prælatos, & verbis, & operibus magna eorum commendatione gessisse legimus; quorum exempla multa in Sanctorum vitis occurrunt [b].

Sicuti contra non desunt alia multa eorum, qui immemores Ecclesiastici sui gradus, cum erga propinquos suos vulgari quodam more se gesserint, & tanquam cæci se à propinquis, ac consanguineis duci permiserint, fæde lapsi fuerunt, atque à Deo grauiter correpti sunt [c].

QVARE sicut in sæcularium virorum Senecta, studium posteritatis propagandæ reprehendi non meretur; sed sita potius laude dignum est, quando illius finis ad Dei gloriam dirigitur, nec ambitionis ardore peruertitur, nec auaritiæ sordibus corrumpitur, aut alio crimine, quod Dei præceptis repugnet, non violatur: Sic in Ecclesiasticis personis, qui ad spiritualia præcipue consectanda instituti fuerunt, hæc ipsa cupiditas parum illorum muneri consentanea videtur; cum sacris literis instructi esse debeant, vera po-

[a] *Sess. 25. de Refor. can. 1.*

[b] *Relata à Surio. 1. & 6. & Baptist. Fulgos. li. 4. c. 3. & à Plat. in vita Cle. 4. cũ annot. Panuin.*

[c] *Idem Stap. in prompt. pag. 43.*

ra posteritatis monumenta, ex solida virtute, & cœlestium meditatione, non ex caduca familiæ, aut consanguineorum successione, esse ab illis comparanda.

Decima obiectio varia sparsim mala complectitur.

DECIMO loco reprehenditur Senectus, quod incommodis multis, doloribus, & afflictionibus extrinsecus sit obnoxia; quæ cum Senectute coniuncta, non tantum corpus languore, ac imbecilitate eneruare, sed mentem etiam difficultatibus, angoribus, ac molestijs solicitare consueuerunt.

Tanta est autem horum malorum multitudo & impetus; vt Senex illis vndique circumseptus, penè ad impatientiam, ne dicamus ad desperationem, quandoque perducatur.

Quæ cum omnibus vsu ipso satis nota sint, atque à grauissimis auctoribus varijs etiam in locis significentur [a], non est necesse ea hoc loco repetere; sed illud tantum obijci posse videtur, male hæc cum titulo, qui est de Senectutis Bono, cohærere.

QVOD sane verum esset, si ista simul coniuncta, prima tantum facie, & superficie tenus spectanda essent: At vero si rectè considerentur, minimè pro posito nostro refragari inueniẽtur. Etenim (quod aliàs diximus) BONVM id tan-

a S. Hier. in prooem. Amos proph lib. 2. S Aug to. 4. & 6. S. Ant. in sum. plar. 1 titu 5. ca. 1. § 6. Vines de Anima Senis. to. 2.

tum a nobis appellatur, cuius vsum secundum rationem est: MALVM autem id, quod à ratione abhorret, quod MALVM culpæ dici solet.

Hinc calamitates, & angustiæ, quæ in Senectutem sæpe cadunt, non eius generis sunt, quæ culpæ crimen suapte natura secum ferant, vel inter mala huiusmodi connumerari debeant; vt quæ æquanimiter hic suscepta, non modo remedium prauis affectionibus nostris afferunt, sed meriti ad Deum amplissimam materiam suppeditant; ac proinde Senectutis Bonum nequaquam labefactant, aut offendunt, quin magis munniunt, & corroborant.

Nam cum Senex prudentia, & consilio præditus, sibi aliqua pro humanæ vitæ varietate offerri videt, quibus eo magis animi sui constantiam, & sapientiam ijs viriliter reluctando, valeat declarare; dubium non est, eum magis secũ animo lætari debere; cum certum sit, si ijs constanter resistit, tunc Senectutis illius laudem, his ipsis quæ aduersari videntur, incommodis & periculis, eo magis crescere, ac splendidiorem, & magis admirabilem reddi. Quod quidem cum & veteres philosophi, atque oratores aliqua ex parte agnouerint; visum fuit nobis, eorum verba, quoniam præclara sunt, hoc loco inferere.

Inquit enim Cicero in Hortensio, vt autores fragmentorum illius, ex Sancto Augustino referunt, in hunc sensum[a]: *Multa sunt in hac vita, quę nobis aduersari videntur, maxime autem profi-*

[a] *In lib. fragmẽt. Cicer.*

proficiunt ad virtutem adipiscendam, atque illustrandam. Etenim, si nulla esset iniuria, vbi iustitia? Si nulla uiolentia, vbi fortitudo? si nulla libido, vbi continentia? si nulla aduersitas, vbi patientie virtus? Cur ergo tãtopere has humanæ vitæ afflictiones & procellas effugimus, quæ nos vt meliores efficiamur, admonent? Et cur recreationes, & solationes tãto studio appetimus; quæ consequuti, molliores plerumque, & deteriores euadimus? Theophrastus etiam scriptum reliquit a: Orbem terrarum, theatrum quodam esse magnum, diuina mente repletum, & cœlestis indicandæ sapientiæ gratia, tam multis vndique collucentibus ornamẽtis illustratum, ac depictum: in eo autem medio collocatos esse homines à Deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egestate, casibusque permultis assidue luctentur; Deum uerò ipsum quantum quisque pugnando ualeat, quamque uiriliter fortitudine diuinitus accepta utatur, desuper aspectare. Hoc (inquam) si uerum est, dubitari profectò non potest, quin quemadmodum Populus Romanus, in muneribus publicis, inuisos habet gladiatores, qui omni modo vitam impetrare cupiunt, fauet ijs, qui contemptum eius præseferunt; Itidem Dij immortales, si quos ex homnib. nimis anxie de vita solicitos, eiusque exitum detrectantes aspiciant, ijs aliquo modo succenseant: Eos verò & charos habeãt, & muneribus prosequantur, qui si è vita reuocentur ipsi, vel suos reuocari videant, alacres, lætique Dio pareant, nihilque propterea, mali sibi accidisse iudicent.

a Refert Cic. in li. de Consolat.

His igitus rationibus, & exemplis, si addantur ea, quæ de hoc argumento à Christianis auctoribus magno spiritu, ac dicendi copia tradita reperiuntur; fiet plane manifestum; & exploratum, Senectutem laboribus, periculis, & difficultatibus, quæ ei aduersari videbantur, fortiter superatis, illustriorem multo ac præclariorem reddi, sumpto ex aduersariorum spoliis non mediocri decore, atque ornamento, quasi trophæo ex hostium telis erecto.

IOANNES FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONIM · ALEXANDER PP VI VALENS

VLTIMA OBIECTIO

DE SENILI AVARITIA.

POSTREMA superest obiectio, quæ Senectutem vehementer obscurare, atq; apud omnes ignominiosam quodammodo reddere solet, extremo à nobis loco reseruata, quoniam longiorem, & diligentiorem examinationem omnino exposcit; tum propter grauia, quæ in ea versantur pericula; tum quod hoc vno crimine, omne Senectutis Bonum penitus extingui videtur.

Id autem est, quod AVARITIA, communi nomine dicitur, vitium non solum grauissimũ, cum dicat scriptura [a]: *Auaro nihil scelestius.* Et rursus [b]: *Nihil iniquius, quam amare pecuniam;* verùm etiam quod dolosa suauitate, se in omnes homines facile insinuat, cum legatur apud Ieremiam [c]: *A minore vsque ad maiorem, omnes auaritiæ student.* Et apud Isaiam [d]: *vnusquisque ad auaritiam suam declinauit.* Et passim Ecclesia ex Ecclesiastico recitat [e], *Beatus vir, qui inuentus est sine macula, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris, quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua:* Quod quidem vitium vsque adeo progreditur, vt & monachos sępe occupet, qui renũciarunt sęculo eprę

cipu-

a Eccl. c. 10.

b Ibidem.

c Ier. c. 6. & 8.

d Isa. c. 56

e Eccl. c. 3[illegible]

f [illegible]o. Cass. li. 7. [illegible] de [illegible]ir. phi[illegible] [illegible]

cipuè verò ſenibus adeò eſt familiare, vt quodammodo illis connaturale eſſe iudicetur: atq; ab ijs (vt plurimum) aut non dignoſcatur, aut certe negligatur. Quod paſſim non ſolum à veteribus Philoſophis, & alijs auctoribus affirmatum videmus, apud quos tanquam prouerbium fertur illud Comici [a]:

Ad omnia alia, ætate ſapimus rectius.
Solum hoc unũ uitiũ affert Senectus hominibus.
Attentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt.

Et illud Horatij de Sene loquentis.

Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet vti.

verum etiam à Theologis, apud quos ſic inter cęteros Sanctus Auguſtinus teſtatur [b]: *Omnia in homine ſeneſcunt vitia, ſola auaritia iuueneſcit.* Et alibi [c]; *Nonne in frigidis Senibus auaritia ad acquirendum, tanto feruentius inardeſcit, quanto citius relictura eſt, quod acquirit; Mirabili ſanè dementia, grauioribus enim ſe ſarcinis onerare feſtinat, cum iam peruenerit quo tendebat.*

a Terent. in Hecy. act. 5. ſcen. 3.

b S. Aug. ſer. 48. ad fratres in Eremo.

c De tẽpore ſerm. 246.

QVAPROPTER cum crimẽ hoc, quod in omnibus turpe eſt, eo turpius, & ſordidius in Senibus cenſeatur; propterea quod (vt Cato dicebat) nihil ſit abſurdius, quàm quo minus vię reſtat, eo plus viatici quærere: Et quod Senes cum cæteris conſilio, & prudentia plus abundent, magis etiam ab hac contagione cauere debeãt; quomodo audebimus nos (ſi ita ſe res habet) ab eodem crimine Senectutem vindicare? aut qua ratione licebit nobis, hunc Boni titulum ingra-

ueſcenti,

uescenti ætati, quæ inexplebili hac siti laborat, legitime adscribere?

Quoniam igitur non leui res difficultate involuitur, necessarium esse duximus, ad materiam hanc clarius patefaciendam, atque ad Senectutis Bonum eo firmius stabiliendum, articulos nonnullos sigillatim, ac ordine persequi.

Sex articuli de Auaritia.

PRIMVS Articulus erit: Vnde auaritia in Senectute magis, quam in alijs ætatibus exardescat.

SECVNDVS; Cum duplex sit Auaritiæ actus: alter in conquirendo, alter in retinendo; Vter ex ijs turpior censeatur.

TERTIVS: Quoniam morbi huius status interdum cognitu est difficilis, explicandum erit, quibus in Sene possit signis deprehendi.

QVARTVS: De varijs coloribus agetur, quibus Dæmon hoc Auaritiæ vitium conatur obtegere, vt potius hæc Senum esse prudentia, quàm nimia tenacitas videatur.

QVINTVS: Remedia aliquot proferentur, quibus crimen istud à Senectute possit, & debeat ablegari.

SEXTVS: Concludendum erit, hanc Senibus quodammodo ingenitam conquirendi & conseruandi cupiditatem, non impedire, nec tollere Senectutis Bonum, de quo agimus.

Auaritia Varijs modis; & quo sensu hic sumatur.

AD Propositam igitur materiam accedentes, exordiendum inde videtur, quo sensu hoc Auaritiæ nomen accipiatur: Siquidem duplex is esse solet; alter vulgaris satis, & cum turpitudine coniunctus; alter nobilior, ac vitio repugnans.

Ac prior quidem, de quo potissimum nos agimus, dupliciter accipi solet, prout etiam apud Græcos duplici vocabulo appellatur; modo. n. auaritiam πλεονεξίαν, modo φιλαργυρίαν vocant, quæ tamen sæpe confunduntur, tametsi ab aliquibus obseruatum sit, pleonexiæ nomen latius patere[a].

[a] Iansen. in Cõcor. Euang. c. 86. col. 4.

Itaque altera est Auaritia, quæ cum iniustitia coniuncta est, alienaque bona inique detinet: quod furti speciem habet, ab omnibusque passim damnatur: De qua Sanctus Chrysostomus inquit Apostolum Paulum loquutum esse, cum scripsit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. Inquit enim[a]: *Auaritia fermentum vetus est, & quocunque inciderit, & in quamcunque domum ingreditur, eam immundam reddit: & licet pauca iniustè lucratus fueris, totas fermentat facultates. Idcirco sæpe pauca male parta, multa bene cõparata perdiderunt.* verum de hac in præsenti non agimus.

[a] S. Chrysost. in Epist. ad Corinth. 2. homil. 15.

Alter

Alterum est auaritiæ genus, cum studet aliquis multò plus habere, quam sit necesse, aut sufficiat; siue id pecunia, siue alio lucri genere constet. Et hoc est illud, de quo præcipue in præsenti disputatione agimus, quod propriè auaritia dicitur; sed est à fœnore, rapina, violentia, furto, aut simili quopiam emolumento, quod alijs noxium sit, remota.

Refertur etiam auaritia quandoque non ad pecuniam; aut argentum, aut opes; sed ad alia, quæ beneficentiæ, industriæ, aut animi generositati repugnant: veluti cum aliquis auarus gratiarum dicitur, quoniam cum auctoritatem haberet, nullis aut paucis se gratiosum ostendit: siue cum studio, aut industria sua multis prodesse posset, ab eo tamen se abstinuit, & parcum nimis in iuuando se exhibuit: aut cum alijs in rebus, loquendo, hortando, animumque addendo, benè de multis mereri potuisset, quadam tamen animi angustia, aut pusillanimitate pressus, præclara quamplura prætermisit; quod internæ angustiæ animi fuit argumentum.

Est etiam alter auaritię sensus, ab alio auaritiæ nomine in hoc diuersus; quod cum auaritiæ vocabulum, communiter sumptum, vulgo male audire soleat, indicans desiderium quoddam immodicũ rem augendi, hoc puriore quodam sensu acceptum, in bonam partem potius sumitur, iuxta rerum conditionem, quibus hoc vocabulum adiungitur; veluti cum dixit Sene-

ca, auaritiã temporis esse saluberrimã, eo quod otium sit pernicioſum; & iacturam temporis, quàm maxime vitandam. Sic alij considerantes rationem ab omnibus etiam verbi otioſi reddendam esse, dixerunt aduersus garrulos, & loquaces, *quorum lingua*, vt ait Gellius [a], *prodiga infreniſque* est; auaritiam verborum in nugando & blaterando, eis amplectendam.

[a] Gell. li. 2. c. 15.

Auaritia, quare in vitio habeatur.

QVOD si quis quæreret, quare Auaritia proprie sumpta, & hæc ipsa cupiditas, de qua nos in præsenti disputamus, in vitio habeatur.

Respondetur, quod cum Deus diuersa hominibus bona ad sustentationem vitæ largitus fuerit; possunt homines bene vti his bonis; quod pertinet ad virtutem, & possunt male vti, quod pertinet ad vitium [b]. Bene autem vtuntur, cum debitam rationis mensuram adhibent, inspecto & considerato fine, sicuti pharmaca ad sanitatis finem temperantur. Male autem vtuntur cum hæc mensura peruertitur; quod fit per excessum, vnde prodigalitas; siue per diminutionem, vnde auaritia [c].

[b] 9. Au. li. 2 deliber. [illegible] c. 19.

[c] S. Th. 2. 9. 118. art. 1.

Et quia frequentius multo, & damnabilius peccant homines, in augendis immoderate bonis, quàm in ijs temere effundendis [d], Ideo hoc

[d] S. Th. 2. 2. 2. 9. 119.

vitium

vitium peſſime audire ſolet, & inter capitalia cenſeri, ex quo alia multa oriuntur[a]. Vnde Apoſtolus Paulus ait[b]: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Et alibi idem Apoſtolus, hanc idolorum ſeruitutem appellat[c].

[a] S. Greg. lib. 21. moral. ca. 31.
[b] 1. Tim. 6.
[c] Ad Ephes. 5.

PRIMVS ARTICVLVS.

In Senibus cur auaritia frequentior quam in alijs ætatibus.

QVARE quod ad Primum articulum ſpectat; cur ſcilicet Senectus magis, quam cæteræ ætates hoc morbo ſolicitetur: ſolent boni auctores multiplices cauſas afferre, quarum aliquæ ſunt communes Eccleſiaſticis, & ſæcularibus viris; aliquæ propriæ ſunt tantũ ſæcularium perſonarum; aliquæ ad Eccleſiaſticos magis pertinent; quæ tamen omnes vitijs ſuis non carent, cum modum excedant, vt inferius patebit.

Quæ communes ſunt, eo tendere videntur, quòd quoniam humana natura ſentit ſe deficere, recurrit ad rerum exteriorum adminicula. Et ideo Senes quicunque ſint, agnoſcentes ſe viribus corporis deſtitui; eo procliuius quàm cæteri in auaritiam delabi conſueuerunt.

At vero ſæculares homines alias addunt rationes; quod ſcilicet, cum Senes ſint, atque ad acqui-

acquirendum minus idonei, familiamque habeant, filios, filias, nepotes, quibus non tantum dum ipsi sunt superstites, verum etiam post obitum prospicere tenentur; ideo vix vnquam tantum eis sibi colligere posse credunt, quod futuris eorum necessitatibus satis fore putent.

Præterea dicunt aliqui, cupere se familiam suam altiore dignitatis gradu collocare; atque interim oportere se ornatam domum habere, ac propinquis, amicis, hospitibusque excipiendis idoneam; ac se ipsos in varios euentus, quos triste sæculum affert, copiose comparare.

ECCLESIASTICIS vero peculiares suas & ipsi excusationes habent, quod cum sint ætate iam confecti, & patres pauperum, debent illis assidue thesaurizare, Ecclesias ornare, Collegia erigere, aliaque huiusmodi pia opera omni tempore exercere, quæ magno sumptu, perennique pecunia indigent. Et ideo non esse arcam eorum exhauriendam, sed vberem potius custodiendam.

Atque hæ sunt in summa potiores illæ rationes, quibus Senes suam tueri tenacitatem solent. Quæ tamen non sunt eiusmodi, vt Doctorum, qui rectam vtendis opibus rationem præscripserunt, sententiam labefactent. Non enim excludunt ij, quominus ea quæ hominum vsui congruunt, pro eorum statu, & familiæ conditione, possint à Senibus obtineri: sed immoderatum bona acquirendi & congerendi studium, quod auaritiæ proprium est, condemnarunt.

Ex quibus illud Senibus omnibus maxime animaduertendum censemus, quod cum natura hominis etiam antequam ætate ingrauescat, propensa potius sit ad retinendum, quàm ad dandum a, quod satis vsu ipso compertum est; Tum vero cum Senium aduenit, & vires corporis deficere incipiunt, multo magis prior illa propensio incalescit, & tanquam arcta ad tenacitatem fræna adiungit, vt indisolubili quodammodo vinculo, Senectus cum auaritia copulari videatur.

a Iauell. in 4. Eth. c. 4. tr. 1.

Quocirca sicut videmus, adueniente hyberno tempore, frigora, niues, glaciesque, passim agros depopulari, & vim ipsam gignendi herbas, & segetes impedire: Sic diuturno vsu obseruatum est, Senectutis hyeme adueniente, largitionis agrum paulatim sterilescere, & quodammodo incipere comprimi, ac pecuniæ sacculum quasi glacie constringi, atque obdurari.

QVARE interest maxime, vt omnes hominum ordines sibi persuadeant, ac memoria teneant; cum primum rugas, & canos erumpere viderint, eo ipso auaritiæ etiam morbum sibi adnasci, aut saltem eiusdem aduentantis non leuem suspitionem suboriri.

ALEXANDER PP. VALENTINVS FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONVM

SECVNDVS ARTICVLVS.

Quid turpius in auaritia; an acquirendi, an retinendi studium.

SECVNDO loco se offert necessario explicandum: An in Senectute damnabilius sit studium nimis acquirendi, aut potius retinendi bona.

Nam cum duo sint actus auaritiæ, quorum alter in conquirendis opibus, alter in ijs retinendis versatur: dubitari potest, vter ex his turpior sit censendus, nulla nunc ratione habita aut rapacitatis, aut iniustitiæ, aut sordium, siue alterius ignominiæ, quæ cum huius, vel alterius culpa coniuncta esse posset: Sed tantum vniuersè rem ab omni circunstantia auulsam, & vt dici solet secundum se, & præcisse considerantes: quemadmodum etiam solent auctores grauissimi, cum de fortitudine disserunt, duos illius actus, qui sunt aggredi, & sustinere, diligenter examinare, vter ex illis potior sit habendus [a].

Arist. Eth. 2 c. 6. S. 1 u. 2 q. 132 a. 6.

QVARE vt simili exemplo idem quoque à nobis in auaritia declaretur; necessarium duximus, vtriusque huius actus conditionem, & vim perpendere.

Quod vt clarius percipi possit, duos hic fingemus homines auaritiæ deditos; quorum alter acquirendi anxietate magis vrgeatur, alter conseruan-

seruandi studio, ac tenacitate acrius opprimatur. Ex his duobus quærimus: vter indignior, aut fœdior sit habendus.

Et quãuis hæc duo inter se quodãmodo connexa videantur, atq; alterũ ab altero pẽdere; cũ is, qui opes præter modum perquirere, atque vndique coaceruare studet, præcipue ad eum finẽ elaborare censeatur, vt illas quæsitas ac simul collectas, postea in quem placuerit vsum, valeat erogare. Ille etiam qui eas integras, incolumesque seruare nititur, non nisi præcedente hoc auri congerendi studio, vix vnquam facere id potuisset.

Attamen si res diligentius consideretur, animaduertere erit, hæc inter se differre a; deterioremque auaritiam illius, qui in conseruando tenax est, quàm alterius, qui auidior est ad opes comparandas, censeri.

a S.Th. 2. 2. q. 118. art. 8. in corpore.

QVA in re cum multa vtrinque dici possent, nos breuitati, quantum licet studentes, putamus ad hoc definiendum, communem illam ab eruditis omnibus receptam regulam non esse desererendam; qui aiunt, finem omnibus in rebus præcipue spectandum, ab eoque totum actum denominari; Ita vt si quis domum ingressus, ibidem furetur animo mæchandi, hic mæchus potius, quàm fur esse censeatur. Imo sicut in rebus, quæ in genere bonorum censentur, media, quæ ad id adhibentur, bonitatem, vt aiunt, à fine consequuntur, & finis in illis rationem optimi dicitur habere: sic in rebus prauis, sumunt

media improbitatem suam à fine. Vnde cum auida acquisitio, in casu nostro sit quasi mediũ ad tenacem nimis, & prauam conseruationem; nã auidus ideo studiose sectatur vndique lucra, & pecunias non cessat accumulare, vt illas tenaciter sibiipsi, & in vsũ suum custodiat; quorũ aceruo, & thesauro ita delectantur, vt quasi in propria fœlicitate conquiescat: propterea hæc tenacitas in conseruando, atque hæc angustia adeo restricta in distribuendo, actus est auaritiæ potior, tanquam magis præcipuus, quàm fuerit auiditas in acquirendo.

Altera est ratio, quæ ex sententia sancti Augustini colligitur, ab alijs Theologis [a] communiter recepta. Inquit enim ille, omnis peccati initium oriri ex amore proprio, debito ordine destituto; dum scilicet homo à Dei præcepto se auertens, appetit aut fugit ea, quæ non congruunt; ac se ipsum tanquam finem rerum, quæ in hoc sæculo sunt, Diuina lege contempta, constituit.

[a] S. Aug. lib. 14. de ciuitate Dei. c. 28. S. Th. 1. 2. q. 77. art. 4.

Quare indignius illius studium esse constat, qui stricte nimis collectam pecuniam conseruare, integramque tueri contendit; quàm eius, qui anxie nimis eandem comparare, & vndique colligere solicitus est, cum retinendi actus magis ex damnato sui ipsius amore prodeat; quandoquidem auarus non adeo se fœlicem in acquirendo, quàm in conseruando esse putat; cum in acquirendo, & indagando anxium eum & solicitum, ac inquietum esse oporteat: at vero in retinendo,

rendo, & numerando sæpius pecunias, aut eas conspiciendo, aut saltem memorando eas apud se habere, nec vnquam sibi deficere, incredibiliter sentiat se solatio, ac voluptate recreari, quod cęci amoris proprij euidentissimum est argumentũ; quippe qui cogitandum suggerit, inde sibi incolumitatem, ac salutem suam omnem pendere; quod multis accidisse Plutarchus & alij testantur [a], qui dicebant Senectutem quamuis reliquis spoliatam voluptatibus, ac multis oneratam curis ætatem; hac tamen vnica collectæ simul pæcuniæ oblectatione, sibi iucundam accidere, ac mirum in modum eorum animum illius possessione refici, & relaxari.

[a] Plutar. An seni sit gerẽd. Resp. Simònid. & Strabans.

ADDI tertio potest, quod quamuis hæc duo eundem fere finem respiciant; negari tamen non debet, quin alterum illud, quod est tenacitatis, & conseruationis studium, longe turpius altero illo, quod in acquirendo tantum versatur, sit censendum.

Nam cum principij corruptio, omnium pessima esse dicatur; pecunia vero ad vitę necessitates, atque hominum commercia fuerit inuenta; (cum vt ait Seneca: *pecuniæ pretium non in re ipsa, sed in illius solum vsu sit positum*) ille qui tenax adeo est, vt eam non expendat, non largiatur, non in alias necessitates transferat; hic vtique rei naturam peruertit, semper eam integram, & incorruptam conseruans; atque illius commercium, & commodum impediens, debitum rei vsum in quandam fruendi speciem conuertit.

Quod secus est in eo, qui quamuis in acquirendo sit nimius, non tamen rei natura abutitur, nec in eo delinquit, quod principaliter cauendum est.

DENIQVE illud etiam quarto loco huc pertinet; quod Senex cum videat se naturæ viribus destitui, atque ætate langueſcente non solũ sensuum instrumenta sibi paulatim deficere, sed etiam se ab omnibus tanquam inutilem fere cõtemni, & illudi, cum experientia didicerit, pecunijs omnia cedere, & eum qui diuitijs abundat, sibi ipsi satis esse, nulloque alio egere, eo quod pecuniæ obediant omnia [a]; & denario vtamur, vt ait Philosophus, quasi fideiussore ad omnia habenda [b]: Idcirco agnoscens ille pecuniã quodammodo vi sua cõtinere vniuersa, & habere quandam similitudinem fęlicitatis; quia per se sufficere videtur ad miseriam subleuandam, et ad bonum quodcunq; obtinendum, quę est vna ex præcipuis conditionibus fęlicitatis [c]; falso is persuasus, sibi nihil deesse posse, si pecuniam in promptu habeat, totum se ad eam conseruandam, ac stricte retinendam applicat; videns si si ita non faciat, se, & naturæ præsidijs deserendum, & calamitatibus multis exponendum, & quod potissimum est, se ab omnibus vilipendendum, ac in nullo pretio habendum esse.

a Eccl. 10

b 6 Ethic. c. 5. c. 5.

c Boet. li. 3. de cõsolat. S Th. 2. 2. q 118 art. 7.

Contra vero, si thesaurum custodiat; cõfidit illius auxilio sibi omnia media, & instrumẽta subministranda, quibus & naturæ suæ imbecillitati mederi, & amicorum beneuolentiam

tueri

rueri valeat; & quicquid ei optandum occurrerit, atque appetitus concupierit, siue sit oppidum, siue prædium, vel syluæ, piscationes, viridaria, supellex pretiosa, aut quicquid oculis, auribus, aut alijs sensibus gratum acciderit, id se nullo labore, sed ab arca sua, quam in manu habet, facile consequuturum.

Hinc igitur parce admodum, & caute ab ea consumenda se abstinet; quoniam agnoscit, si pecuniam illam diminuit, sibi etiam facultatem illam amplam res omnes obtinendi, diminuendam esse; qua ne exspolietur, integram arcã custodit; atque ita dũ putat miser se omnia in manu sua habere, nihil vnquam habet, & volens quodammodo perit.

QVOD si quis obijceret; eum qui in perquirendis bonis anxius, nimiusq; est, cõtrarium magis liberalitati actum exercere recipiẽdo, quam conseruando; eo quod liberalitas in motu dãdi, acquisitio vero in contrario motu, qui est recipiendi, consistat: qui duo motus inter se recta sunt contrarij: quod in seruando non accidit, cuius nullus est motus, sed tantum quies, & ideo minus hæc quies liberalitati refragari videtur.

Respondendum erit, motum hunc perquirendi, seu recipiendi, prout motus est, repugnare quidem motui liberalitatis; sed adhuc repugnare magis quietem illam conseruandi, quæ subsequitur motum illum acquirendi. Nam in tenacitate duo actus considerantur; alter priꝰ

dens, qui est in congerendo, seu accumulando; & alter subsequens, qui est in retinendo, & stabiliendo præcedentem motum, qui antea non erat perfectus.

Quod confirmatur; quia perquirens donec perquirit, nondum vitium expleuisse, sed potius inchoasse censendus est; & tanquam in principio itineris positus, quotidiè curat illud absoluere; quod cum labore multo, industria, atque assiduitate indigeat, facilius accidere potest, hunc ab instituto esse reuocandum, quàm illum, qui arcā iam impleuit, & conseruat eam; nempe quia iste ab his liber periculis, in dies magis thesauro suo oblectatur; in quo contemplando, tangendo, ac etiam numerando, nullum sentit laborem, sed solatium magnum, atque ideo in eo feliciter, vt sibi videtur, conquiescit; vnde quo minus errorem suum agnoscit; eo indies magis incurabilis efficitur.

TERTIVS ARTICVLVS.

Varia signa ad detegendum auaritiæ senilis vitium.

TERTIVS sequitur articulus, quo aliqua signa depromenda sunt, quibus quasi luminibus, auaritiæ crimen, obscuris abditum in Senectute tenebris, patefaciat: Quòd quidem superuacaneum fortè videri posset, eò quòd cum

vitia

vitia aduersus rationem sint, ac fœditate mul-
a illita, satus dedecus suum sponte omnibus so
lent prodere. Veruntamdn hoc ipsum eiusmodi
est, quod vsu ipso experimur; vt cum cætera pe-
ne omnia scelera, labentibus annis, aut tædium,
aut saltem satietatem quandam afferre; & mi-
nui soleāt; hoc vnum non solum cum annorum
incremento semper ferè augetur; sed etiam ita
Senes penitus obruit, vt quamuis vsque ad gut-
tur, vt aiunt, sint profundo illius cœno demersi;
eo tamen se vel leuiter attingi, aut non agnoscāt,
aut certè fateri nunquam velint; cum nihilomi-
nus se ad alia multa crimina, libidinem, iracun-
diam, ebrietatem, impatientiam, ambitionem,
propensos esse, aut fuisse, nullo ferè timore sæpe
consentiant.

Sicut itaque medici pernicioſiores eos corpo
ris morbos iudicant, quibus ægrotus minime
se vrgeri, aut affligi sentit; cum tamen assidua fe-
bris intimos eius artus exedat, ac vitales humo-
res exhauriat: sic Senem, qui se hac labe consu-
mi non videt, sed potius magnas causas iactat,
quibus sibi licere, imo etiam se debere conten-
dit rem suam augere, nec cuiuspiam cedit ratio-
nib. in magno planè salutis discrimine versari,
non est dubitandum.

Itaque eo maior nos impulit necessitas, vt
quæ ad latentem huius morbi vim detegendam
pertinet, strictim saltem colligamus.

Pri-

Primum signum auaritiæ.

AC possemus quidem, quoniam de iniusto acquirendi modo, illicitisque contractibus, vt aliàs diximus, nunc non agimus, primum ab eo morbo incipere, quo laborare eum tradunt Philosophi & Medici [a]; qui cum multum ederit, multumque biberit, nunquam tamen expletur. Sicut enim hic merito suspicatur latere aliquam vim morbi, atque ideo Medicum adit, percũctantur quæ sit affectio, & qua ratione queat leuari: Sic (aiunt ipsi) quotiescunque Senex, qui habens quinque lectos, requirat decem; & possidens decem mensas; alteras totidem coemat; & agrum agro, domum domui adiungere sit solicitus, nec expleatur: vtique nemo huius rei causam dicet esse penuriam, sed insatiabilitatem, nimiumque amorem diuitiarum à praua auaritiæ labe proficiscentem; cum isti similes sint canibus, vt dicebat Seneca [b], qui frusta panis, aut carnis à domino missa aperto ore captant, & integre deuorant: ac mox ad spem futuri inhiant, nec vnquam saturantur.

[a] Plutar. de cupidinit Galen. de dignoscen. morb. cap. 9.

[b] Seneca epist. 37.

Secundum signum auaritiæ.

SECVNDVM signum est, quod quemadmodum industrij Imperatores in recensendis copijs,

copijs, acieque militum lucidis armis nitentiũ instructa, delectari solent: sic nonnulli auari Senes in numerandis pecunijs, ijsque siue aureis, siue argenteis intuendis, ac ab alio vulgato ære diligenter secernendis, non mediocrem voluptatem capere consueuerunt, prout etiam carmine illo dicitur.

Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contẽplor in arca.

Cuius rei non absimile exemplum superioribus annis in Sene quodam supra modum tenaci, & restricto accidisse nouimus. Nam cum illius arcam, filij eius pecuniæ indigentes effregissent, isque procul ab ædibus paternis eos expulisset; hincque illius consanguinei eosdem illi conciliare studerent: respondit Senex; si concubinam quis vestram violasset, adeo ne facile fuisset vobis, hoc illi probrum condonare? Sic putate domesticam arcam meam, charissimi amasij loco mihi semper habitam fuisse, quam corruptam intueri, non possum non ægerrime ferre.

Hæc igitur infelix Auari est cõditio, vt pecuniæ aspectu tanquam instrumento ad bona omnia adipiscenda delectetur. Et sicuti qui potionem aliquam medendis morbis salubrem nouit, lætatur valde, cum videt eam sibi præsto esse: Sic Auarus cernens pecuniam in arca sua congestam, vnde commoda omnia sibi adfutura sperat, recreatur valde illius intuitu, cum inde putet incolumitatem, ac salutem omnem suam.

suam pendere. Hinc Sanctus Ambrosius inquit[a]: *Auarus, semper aurum, semper argentũ videt, semper redditus computat; gratius aurum inuetur, quàm solem.*

[a] S. Amb. serm. 64. c. Sicut ij. dist. 47.

Tertium signum auaritiæ.

ALIVD Signum in ijs deprehenditur, qui pecuniam tanquam rem sacram venerantes, ne attingere quidem audent; sed arcte collectam centum seruant clauibus, nec locum vbi ea sit, à quoquam sciri, aut intelligi patiuntur; sed sibi ipsis peculiariter eam reseruantes, tanquam absconditum idolum toto pectore solent colere, & amplecti. Quod quidem exemplis, & auctoritatibus non opus est comprobare, cum frequenter nimium, hæc spectra in hominum mores induci videamus.

Quartum signum auaritiæ.

SIGNVM quartum sumi solet à diuitiis breui tempore comparatis; vix enim fieri potest, vt illi qui cito industria sua diuescunt, auaritiæ morbo non laborent. Quare ex sententia Sancti Hieronymi legimus, neminem bonum, cito diuitem fieri. Et narrant historiæ[b], M. Crassum, qui breui tempore diuitiarum magnitudinem comparauit, simul etiam non leuem

[b] Plu. in vita M. Crassi.

auaritiæ

uaritię ſuſpicionem contraxiſſe; nam cum 300 ſolum talenta ex paterna hæreditate accepiſſet, ſeptem tamen millium, & centum talentorum ſummam, eum ſimul iunxiſſe tradunt; quod quidem vix alia ratione, quam nimio cumulandi, & conſeruandi ſtudio fieri potuiſſe, ſcriptores referunt.

Quintum ſignum auaritiæ.

QVID verò de ijs dicendum, qui vitæ ſuæ nec minimum parcentes, in laboribus, ſudoribus, vigilijs, ſolicitudinibus, & alijs afflictionibus, lucrandi tantum, & acquirendi ſtudio ita ſunt intenti; vt vix alios ſermones, quàm de facultatibus augendis, pecunia in tuto ponenda, de re frumentaria, de agris comparandis, de domibus locandis, aut alijs huiuſmodi negotiationibus ac mercibus, miſceant? nihil ferè aliud animo verſantes, quàm quod ad eorum rem vel augendam, vel à periculo eximendam ſpectat?

Sextum ſignum auaritiæ.

SEXTVM ſignum. Quales etiam illi ſunt, qui domum ſuam nunquam hoſpitibus, aliiſue amicis apperiunt: nihil in pauperes, in loca pia, alioſque liberales vſus erogant, ſordida omnia habent, & ſqualentia, veſtem, ſuppellectilem,

stilem, & id genus cuncta.

HAEC vtique, & alia huiusmodi multa, quæ satis vulgaria sunt, agnoscimus non recte indicia aut argumenta auaritię vocari, cum potius certæ sint probationes eorum tenacitatis, & immoderatę erga arcam affectionis: Imo potuisset fortasse hæc tanquam satis trita & peruulgata, ne dicamus nimium abiecta & sordida, silentio præteriri.

Attamen (quando ità locus ferebat) hæc pauca persequenda duximus, putantes non inutilia prorsus hæc etiam aliquibus forte futura; vt ex his, hoc Senum genus, ad quas aliquando calamitates redigi, & quàm arctè se his hostibus obsideri patiatur, facile possit dignosci, cum præsertim talia sint, quæ nulla ferè excusatione, aut colore possint adumbrari. Nam de alijs, quæ maiori sunt cautione circumsepta, atque ideo attentius obseruanda & vitanda, in sequenti articulo erit differendum.

QVARTVS ARTICVLVS.

Insidiæ dæmonis ad fouendam in Senibus auaritiam.

NVNC ad alterum illud caput, quod longe difficilius, & periculosius est, descendimus; quando ipsi Senes speciosis coloribus, artificijsque commentis, quæ prudentiæ, & honestatis

statis imaginem præseferunt, seipsos in huius cœni profundum deuolunt; quos Dæmon animaduertens in hoc vitium valde procliues, eo acrius conatur in hanc foueam præcipitare.

Quocirca eò magis laborandum est, vt modis omnibus occuratur non solum propriæ isti Senum cæcitati, sed etiam Dæmonis eos allicientis artificio; ita vt nec Senes ipsi se ipsos decipiant, nec etiam se à Demone decipi patiantur; præsertim cum adeo subtiles sint eius artes, quibus miseros Senes quotidie tentat; vt nisi maxime oculati ij fuerint, ac saluti suæ prospiciendi anxiè studiosi, facile illius vinculis comprehendi possint. Imo quod veteres de Protheo in varias se formas vertente fabulati sunt, hoc de Dæmone dicere possumus, qui varijs laqueorum generibus, sub vana virtutum imagine, non desinit vnquam miseram fallere Senectutem.

In præsenti igitur præcipuas quasdam illius insidias prodere conabimur; ex quibus Senes comodè possint intelligere, in quo statu reperiantur, & quibus fallacijs sint circumsepti, vt facilius possint ex eius se vinculis explicare; quoniam quod ars medica ignorat, id sanare minime potest.

Prim

Prima ad auaritiam ſuaſio: propter conſeruandum in poſteris ſtatum.

PRIMVM itaque id ſe offert animaduertendum, ſolere veteratorem illum, tanquam conſcientiæ ſcrupulũ Senibus inijcere, quod cũ cito ſint è vita hac diſceſſuri, teneantur nunc maximè ſtatum præteritum ſuum, & cõditionem, in qua eouſque permanſerunt, non ſolum honorificè conſeruare; ſed etiam familiæ; & poſteritati ſuæ proſpicere, illiuſque gradum, ac dignitatem, qua poſſint ratione promouere.

Hic autem ſtatus, cum nullis certis limitibus ſit præfinitus, conatur ille eum latiſſime proferre; atque ad cuiuſque arbitrium, multorum exẽplo, qui ita perperam geſſerunt, extollere. Quo fit, vt ex eius documento, nullus eorum cupiditati, aut ambitioni modus ſit conſtituendus.

Sed amplius, hæc ratio id abſurdum continet, quod eo tempore, quo vident omnia præſentia iam eſſe relinquenda, eo auidius ad hæc conquirenda, & accumulanda vrgentur, nullaq; ferè bonorum æternorum cura ſuſcepta.

Nam de ijs quid attinet dicere, qui nullos habentes poſteros, cum tamen ad affectam peruenerint ætatem, huic ſe nimium tradunt ſolicitudini? Quid item de Clericis illis loquendum, qui tametſi bona ex fructibus beneficiorum comparata, & poſt mortem relinquenda, ſciant ad Eccleſia-

clesiasticum fiscum deferenda, in hanc tamen vnam congerendæ infeliciter pecuniæ curam, toti incumbunt.

Secundus ad Auaritiam motus: propter necessitates superuenturas.

SVGGERIT secundo, Senectutem varijs & diuturnis sæpe infirmitatibus obnoxiam, in quarum curationibus etiam domestici, & propinqui crebro defatigantur. Vnde periculum esset, ne ægroti Senes ab omnibus deserererentur, si eorum pecuniæ antea fuissent exhaustæ; additque, quòd præter infirmitates corporis, nouæ etiam quotidie accidunt eis calamitates; quas antea nunquam cogitassent, quibus nisi præsidium aliquod paratum habeant, quo eis occurrant, actum de illis fore; cum rari sint homines, qui alienæ inopiæ opem ferant, rarissimi, qui quantum necesse est præstent indigenti. Quapropter hac ratione illis persuadere conatur, vt quod ipsi possident, diligentissime custodiant; ac mala, quę antea passi sunt ob inopiam pecuniarum in memoriam ijs reuocat; vt specie præcauendæ nouæ calamitatis, restrictiores ac tenaciores eos reddat.

Quibus & alia multa damnorum pericula conatur addere ad eos terrendos, vt in extremā auaritiæ atque illiberalitatis oram adigat nulla ab ijs legum, nulla proprię tranquillitatis, ac

ſalutis ſubducta ratione, quod tamen in primis curandum eſſet. Vnde nos etiam, extrema quædam hominibus in communi ſocietate degentibus vitanda eſſe, inferius ſubijciemus.

Tertium auaritiæ tegumentum non habere pecuniam in numerato.

TERTIO, ſunt nonnulli, qui eiuſdem Damonis aſtu decepti, opum cumulandarum auidiſſimi; ac deſiderio diteſcendi inexplebile effecti, hanc congerendæ pecuniæ ſitim conantur varijs artibus eludere, cum tamen ab ea potius eludantur: ſi quidem fugiunt habere pecuniam in numerato; ſed cum redditus opulentos poſſideant, eos ſtatim in bona ſtabilia, agros, vineas, domos, hoſpitia, venalia officia, atque alia hiuſmodi impendunt; ex quibus lucra multiplicantes, recentia bona immobilia veteribus adiungunt: aut ſi familia ſint onerati, ſiue alijs euentibus impediti, quo minus poſſint opes aggregare; nullum tamen lucellum præter mittunt, quin ad ſe pertrahant, pecuniam vndique corradunt, ac ſordidiſſimis etiam quæſtibus ſe inuoluunt; qui quidem omnes dupliciter ſeducuntur.

Primum, quòd auaritiæ crimen in pecunia tantum congeſta putant conſiſtere; cum tamen alijs etiam rebus nitatur, vt prædijs, domibus, mercibus, frugibus, veſtibus, & id genus ſimilibus,

bus, quæ ad numeratam pecuniam facile redigi possunt: Vnde dixit Dominus in Euangelio: *Cauete ab omni auaritia* a.

Secundo, quia auaritiæ crimen, non tam in exteriore pecuniarum affluétia, quàm in intima & immoderata quadam eas obtinendi cupiditate versatur; & ob id peccatum spirituale appellari solet b. Ideo qui hòc assiduo lucrandi desiderio vrgentur, semper anxij, semper queruli, & locupletioribus inuidentes inueniuntur; & quamuis arcam implere eis non concedatur, non tamen auaritiæ notam effugiunt. Illi verò, qui pecuniam in numerato habere non studét, sed alijs opum generibus incumbunt; hoc ipso produnt, se non largiores alijs, sed cautiores; quia mercatorum, & campsorum decoquendi pericula effugiunt; sed tamen non id assequuntur, vt idcirco non restricti, & tenaces nimis habeantur; cum parum admodum præ multitudine diuitiarum largiantur, nec eorum expensæ redditibus respondeant, quæ certa solet esse auaritiæ nota.

a Iansen. Concord. Euang. c. 86.

b S. Tho. 2. 2. q. 118. ar. 6. et 8. Tabiena verb. auaritia nu. 8

Quartus ad auaritiam stimulus; ne matura ætas ab alijs contemnatur.

QVARTO, solent ferè omnes auaritiæ studentes, id tanquam tutissimum asy-

lum, & perfugium arripere; quod dicant, videre se deficientibus corporis viribus, atque tum languore effœtæ ætatis, tum aliis impedimentis, quæ Senium secum affert, eo se vt plurimum redigi, vt ab omnibus tanquam inutiles habeantur, atque ideo contemnantur. Vnde in prouerbium abijsse tradunt, quod Cecilius dicebat: *In Senecta hoc deputo miserimum, sentire ea ætate esse odiosum se alteri*; quod & à Catone memoratum fuit[a]. Hincque aiunt, nisi maturam illam ætatem diuitiarum præsidio præueniant & tueantur, quibus sibi; & vitæ necessaria, & aliorum etiam beneuolentiam comparare possint, actum de illis quodammodo esse; cum nulla alia re apud populum in opinione, & pretio iã habeantur, sed tanquam ad omnia inepti censeantur.

[a] In li. de Senect.

Adduntque, tum hac causa, tum alijs etiam iustis rationibus, Theologorum, Philosophorũ, & sapientum aliorum consensu probatum esse, licere omnibus quacunque ætate etiam matura prouectis, sibi pecunias, atque opes, laudabiliter reseruare, ad varias occasiones, quæ in dies singulos exoriri possunt; nec vrgeri homines, redditus suos oés, aut quicquid habent auri, aut argẽti, quotannis erogare, aut distribuere, nec hoc liberalitatis studio repugnare[b]; præsertim quia à natura, quæ sentit se deficere, eiusmodi in eos studium quodammodo deriuatur: vnde naturalis hic morbus, à multis solet appellari, ac proinde non laude, nec vituperatione dignus haberi.

[b] STh 2. 2. q. 117. ar. 5. ad 3. & art. 4.

Qua

Qua tamen in re quantum decipiantur, patet exemplo somni, & quietis: nam sicut illa, hominibus indulgentur, vt eò promptiores, & alacriores ad opera, & labores reddantur, non vt otio marcescant: sic quoque non pugnant Doctores aduersus diuitias, quasi illicitum sit Christiano homini, eas obtinere[a]; nec negant etiam pecuniæ aliquid, quod in tempore depromendũ sit, seorsum in arca condere licere; dummodo auri acernus, in cultum non protrahatur, & sitis habendi quotidie vehementius non exardescat; verum vt necessitatibus pro conditione status, opportune consulatur.

[a] Belarm. tom. 3. de bon. op. cap. 10.

Quintus ad tenacitatem impulsus vt maturius de re danda deliberetur.

ALTER est astus Dæmonis, eo periculosior, quò frequentior, & prudentiæ specie plurimos fallere magis solet. Nam cum vetus sit prouerbium, non esse in negocijs præcipitandum consilium, sed cunctanter, & mature res agendas; ille cum ad largiendum pecunias, aut ad liberale quippiam peragendum, videt Semmanimantum; cõfestim aliud opus, in quod vtilius pecunia verti posset, cogitationi illius subijcere conatur; ac mentem ipsius saltem ita diuidere, vt de eo, quod sibi antea proposuerat,

consultius deliberandum esse iudicet; ea calliditate, vt mora aliqua interiecta, non solum illa tunc dandi occasio elabatur; sed etiam, vt spe vel consulationis, vel maioris boni, mens interim ad ala, quæ tempus quotidie parit, cogitatione se conuertat; atque ita, vel à dando prorsus distrahatur; vel animo relinquendi aliquando pia legata post mortem, auaritiam viuens nunquam deserat. Cum satis pateat, eos qui toto vitæ cursu parcissimi fuerũt, multarumque opũ copiam auide collegerunt, vnde apud omnes hoc auaritiæ nomine non benè audierunt; demum tamen ab hac infamiæ nota penitus non liberari, si exeuntes vita, bona sua in pios vsus, aut integra, aut aliqua ex parte distribuenda relinquunt.

Nam etsi hoc non damnamus, laudamus potius; præsertim si summa notabilis fuerit, quam in eleemosynam contulerunt: laudaremus tamẽ magis, si quo tempore res suas in potestate habebant, ac præsenti hac vita fruebantur, sibi ipsis easdem auferentes [a], atque alijs largientes, vera beneficientiæ exempla publice prebuisset; nec angustias illas vitę occidentis expectassent, quãdo nihil secum possunt exportare: vix enim tunc hac ratione, præteritam cupiditatis suspicionem poterunt auari eluere; cum præsens hæc pietatis significatio, arguat quidem eos post mortem beneficos extitisse; sed non ideo doceat, dum viuerent, auaritiæ deditos non fuisse.

[a] Sot. de Iust. & iu. lib. 10 q. 4. ar. 4. §. modus autem Nauarr. . . reddit Ec cl q. 1. monit. 25. n. 3. 5. quam quam.

Sexta.

Sexta ad tegendam auaritiam fraus : crimina vitare, & bona quandoque facere.

SENIO, non leuiter quoque Dæmon laborare solet, vt Senibus multis persuadeat, optimum illis fore, si in bonis aliquibus operibus quandoque versentur, atque à nonnullis prauarum actionum generibus abstineant; non eo quidem proposito, quod illos bonos esse, aut à vitijs alienos cupiat; sed vt auaritiã hac bonitatis, & sanctimoniæ specie magis contegant, hincque omnem consumendæ pecuniæ occasionem tutius fugiant. Quod consilium Senes miseri sequentes, arcam refertam arctè custodiunt; aclargitati, & sumptui quoad eius fieri potest, parcentes, omnem dant operam, nequid ab eis contumelioſum, iniustum, turpe, mendax, aut legibus repugnans, vlla ratione committatur, ne iudiciũ subire compellantur; propterea quod vident magistratuum auctoritate grauiter in eos animaduerti, qui aduersus leges commitunt.

Vnde cum hi nihil magis quàm sibi ipsis, & pecunijs suis timeant: studeant non quidem virtutis amore, sed eo præcipue consilio, & fine, vt magis in tuto eorum sit pecunia, dum nemo nec publice, nec priuatim offenditur, se modestos, officiosos, ac continentes præbere. Imo Eccle-

sias, sacras conciones frequentant, sacramenta suis temporib. colunt, pias societates non negligunt, cæteraque omnia vt boni ciues, quantum fieri potest, persequuntur: nihil tamen de suo prorsus, aut parum admodum, & raro largiuntur: non animaduertentes se nec pios Christianos, nec bonos etiam ciues haberi posse, qui quærant tantum quæ sua sunt: nec alios adiuuare, nec miseris subuenire, nec quod superuacaneum eis est, alijs distribuere procurent: Quod & ipsum, indubitatum est restricti & tenacis animi vitium.

Imo isti aliquando, ad crimen suum introrsus latens obtegendum, patiuntur se amicorum rogatu ad conuiuia exhibenda, ad honestam aliquam recreationem; vbi mediocris impensa est necessaria trahi, aut ad aliud quodpiam raro cõtingens sumptus genus traduci, in quo alios omnes largitate superare contendũt, vt liberalitatis nomen falso aucupentur: cum tamen à beneficentiæ virtute longe absint, quæ habitum immobilem, & continuatum; quem voluptas etiã sequitur expostulat.

Sic M. Crasso accidisse legimus, qui tametsi vt historiæ referunt [a], pecũnias sine vllo fœnore mutuo tradidisset, decimam facultatum suarum partem Herculi consecrasset, publicum epulum populo aliquando dedisset, ac tres minas in singula ciuium capita contulisset: nihilominus conceptum antea in populo auaritiæ nomen, non potuit effugere: quin vero plurimas

[a] Plut. in vita M. Cras.

quibus

quibus præditus erat virtutes, vnius auaritiæ sordibus obscurauit.

Sic isti, de quibus agimus, cum arcam latentem mira diligentia, intimoque animi affectu custodiant, nec eam expoliari, aut tantillum pecuniæ ex ea hauriri patiantur, nec eam vllatenus deseerant; satis sibi cõscij esse possunt, se extraordinarijs istis liberalitatis imaginibus, minimæ auaritiæ sordes exuisse; potius sibi pro certo persuadere debent, peruulgatam de sua tenacitate apud populum opinionem, hoc commento minime extingui posse.

Septima auaritiæ fraus; vt Senes se ære alieno astrictos ostendant.

SEPTIMÓ, Nonnulli itidem inueniuntur, quorum crumena cum sit plena, & exuberans, recusant tamen, aut differunt omnibus eorum creditoribus satisfacere; non solum ob nimium tenacitatis affectum, & quia pecuniam suam à se tanquam viscera auelli, ægerrime patiuntur; verum etiam vt hac ratione, quod variis sint nominibus onerati, & minime affluentes diuitijs, aut non auari, sed potius egentes, ac oneribus oppressi prædicentur: vnde & in iudiciũ apud Tribunalia se hoc nomine vocari, tacitè lætantur. Quæ tamen eorum cautio, non solum eos non liberat à praua illa vulgo de ijs dispersa opinione; sed auget potius mirum in modum eorundem indignitatem.

Oriana

Octaua auaritiæ: fraus damnare alios: & ostendere se eos odisse, qui auaritiam sectantur.

OCTAVO, Decipiuntur alij, dum M. Crassum imitantur; qui cum omnium esset auarissimus, legitur maledictis auaros grauiter insectari consueuisse, & quasi sui similes homines odisse. Idèm in multis obseruatum fuisse scimus, quibus cum hoc vitium vehementer dominaretur, ipsi tamen tanquam ad se non pertineret, cum risu aliquando, interdum cum stomacho, aduersus alios, hac eadem de causa acrius inuecti sunt; existimantes aut prorsus se eo crimine solutos esse, aut certè magna arte hoc simulantes, vt longe ab hac auiditate remoti iudicarentur, cum tamen contrarium potius euenire soleat; quandoquidem ab alijs eorum cupiditas satis perspecta, miserationem potius ipsorummet, aut certe admirationem magnam excitare videatur.

Nona auaritiæ fraus; fructus ecclesiasticos in bona sæcularia conuertere.

NONO, sunt quoque nonnulli, qui cum fructibus Ecclesiasticis valde amplis, & pingui-

pinguibus potiantur; non desinunt eos in bona stabilia, quæ profana, & sæcularia appellant, conuertere; quæ cum à sæcularibus coemerint, opinantur se canonum lege, Ecclesiasticisque regulis solutos, nec sibi in ijs bonis, quicquam cũ Ecclesia commune superesse: vnde negocia, merces, aliaq; huiusmodi contrectant; non agnoscentes, se & auaritiæ, & fraudandi Ecclesiam studio, maxime detineri.

Decima auaritiæ fraus, modestiæ specie, sumptibus parcere.

DECIMO, Sunt alij denique, qui (quod dictu sordidissimum, atque ignominiosissimum est) sobrietatis, modestiæ, & tuendæ valetudinis specie, vix quicquam quod alicuius sit pretij, in domum inferri patiuntur; atque cubicula sua pręter dignitatem rudia, & incompta esse non erubescunt; profitentes se his exemplis Euangelica consilia sectari, cum tamen de fosso, aut absconditꝰ incubent auro; quod sacra lege vehementer detestatum, atque abominabile esse nouimus.

Et quia longum esset alia omnia figmenta, quæ Senibus Dæmon ad prauitatem hanc tetram adumbrandam suggerit, enarrare; sufficiat his, quæ modo memorauimus, Senes admonuisse, vt hæc tanquam in speculo sæpe intueri non prætermittant; vnde aduersarij fraudes

depre-

deprehendere, easque facilius declinare valeant.

QVINTVS ARTICVLVS.

Remedia ad Senilem Auaritiam curandam.

AD quintum articulum nunc est veniendū; quo ea queruntur, quæ ad Senilis huius morbi curationem pertinent. Nam etsi post patefactas illius radices, agnitasque cacodæmonis insidias, posset non amplius difficile videri, virus hoc detectum momento propulsare; præsertim, quia cum contraria contrarijs curentur, nihil promptius, aut vulgarius huius morbi medela esse deberet; ad quam adhibendam, non est opus maria transilire, non Aegyptum, aut Arabiam peragrare, non secreta antidota conquirere, non absconditas in ipsis telluris visceribus radices eruere; sed in ipsiusmet Senis manu, hæc curatio quodammodo reposita censetur; nempe vt incipiat pecuniam in pios vsus erogare, & secundum prudentię regulas liberaliter effundere, arcamque egentibus aperire.

Quoniam vero longe aliter re ipsa accidere, ac medelam hanc, quę adeo prompta facilisque videtur, non solum arduam, ac difficillimam euadere comperimus; sed potius tenacitatem hanc specie parsimoniæ, & prouidētiæ imis multorum Senum visceribus valde defixam esse. Id-

circo

circo malo huic expellendo vtilia aliquot remedia proponere, opportunum maxime fore iudicauimus; vt sciant Senes, quanam ratione expeditius, ac tutius hæc ab ijs adhiberi possint, quo se ab omni prorsus periculo, ciuiumque murmure eximant; ac (quod in primis refert) vt tutam sibi, ac tranquillam conscientiam tueãtur.

Primum remedium aduersus auaritiam diuinam gratiam implorare.

QVARE, animaduertentes nos ea, quæ superius tanquam impediméta relata fuerunt, quib. detinentur Senes, ne bene res suas distribuant, cõiter ab ijs, aut non agnosci, aut certe negligi[a]; non possumus non primo loco id, quod caput omnium rerum est, ijsdem Senibus in memoriam redigere; vt quam primum studeant ad omnipotentis Dei opem confugere, ac crebro lumen hoc ab eo postulare, vt statum suum, ac periculum in quo versantur, liquido valeant dignoscere; dicentes cum Propheta[b]: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam*[c]: *In Senectam, & Senium Deus ne derelinquas me*[d]: *Oculi mei semper ad Dominũ, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.*

a Iansen. Concord. Euang. c. 86. col. 4.

b Ps. 118.

c Ps. [illegible]

d Psa. 24.

Quib. & alias humiles preces, & peculiares meditationes adiungere poterunt, pro cuiusque spiritu & deuotione, à Sancta Ecclesia traditas, ac pijs multorum libellis collectas, ad Diuinæ gratiæ claritatem, ac ad terrenorum omnium con-

contemptum, atque animæ suæ salutem, in spē certam futuræ gloriæ, ad æterna tabernacula perueniendi muniendam.

Secundum remedium agnoscere opum solicitudines & pericula.

SECVNDVM est, vt Senes omnes intelligāt; hunc ipsum affectum multa bona possidendi, magnas non solum solicitudines, atque internas anxietates secum afferre, quas opes ipsę sua quodammodo natura adiunctas habēt; prout etiam Philosophi nonnulli solo naturæ lumine præditi agnouerunt; verum etiam ex ijs Christianum hominem in magno salutis suæ discrimine constitui.

Nam quod ad Gentiles attinet, notum est, quid de Aristide, de Diogene, Epaminonda Thebano, Cratete, atq; alijs non tantum apud Laertium, Plutarchum, & Xenophontē; sed apud sacros etiam Doctores, Nazianzenum, & Ioannem Chrysostomum, scriptum de illis inueniatur [a]; cum tradiderint eos ab opibus, & diuitijs se abstinuisse, ne earum solicitudine implicarentur, atque à philosophia magis auocarentur.

Nos vero, quoniam in præsenti de Christianis loquimur; ad rationes Gentilium, addimus; oportere Christianos optime cognoscere, se rerum, quibus in hoc mundo vtuntur, non plenum ac liberum prorsus nactos esse dominium,

a S. Nazia. or. 30 S. Io. chrysost. lib. 2. aduersui tup. vit. monast.

nium, ita vt liceat eis quoquo pacto velint, atque in quoscunque vsus eas erogare; imo illos in nouissimo die, quo ad iudicium vocabuntur, nedum dispensationis opum suarum, sed poculi etiam aquæ frigidæ egeno denegari, rationem fore reddituros.

Quapropter quod vident diuitias sibi, vel alteri vltra status sui conditionem, large à Deo cõmunicatas fuisse; simul id cogitare debent, ita eis Diuinam clementiam elargitam fuisse, vt inde meritum bonæ dispensationis acquirant [a]. *a S. Amb. li. 2. off. c. 30. S. Basil. in ser. ad divit.*

Id autem recte, & fideliter præstare, valde difficile est; quandoquidem bene nosse, quomodo, & quando, & quibus, atque vbi, pecunia sit distribuenda; summi res est consilij, & magnæ prudentię opus, qua non omnes potiuntur; præsertim vero quia naturæ imbecillitas, ætatisque affectæ, ac declinantis status, hominem ad retinendam, & custodiendam pecuniam semper ferè allicit; ex quo tenacitas, & auaritia oritur.

Quapropter, cum Senes se in ancipiti periculo, & quasi in medijs fluctibus positos videant; vetus est, & commune consilium, ne sibi ipsis, aut iudicio suo vllatenus fidant, se more maiorum vereantur omnia opera sua; ac præter lucis claritatem à Deo petitam, aduenantis ad ianuã mortis, & reddendæ proxime rationis necessitatem, assiduo secum meditentur, memores quod Dominus Euangelio ad cautionem nostram dixit [b]: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te; quæ autem parasti, cuius erunt?* *b S. Luc. 12.*

Nam quemadmodum medici ex varijs symptomatis, ac alijs, atque alijs humorum perturbationibus, ægritudinis vim, & conditionem conantur explorare, vt facilius ei possint occurrere: Sic Senes opus est, accuratè primum sua ipsius vitæ instituta, cupiditates, actiones, ac studia obseruare; vt latentem hunc morbum possint deprehendere, ac tutius expellere.

Tertium remedium obsistere initio auaritiæ.

TERTIVM est, sicuti medici in grauioribus quibusdam morbis respondere solẽt, vnam illam esse curandi rationem, ante languorem adhibere medicinam, & præcauere, ne morbi illi generentur; cum postquam inualuerint, sera plerumque, atq; inanis medicina esse soleat: Sic in Senili hac auaritia, solet sapientibus viris illa cautio censeri præcipua; vt initio omnibus ei viribus obsistatur, ne illius vis, in viscera Senum vllatenus irrepat.

Quod quidem apud Cassianum maxime cõmendatum legimus [a], qui cum morbum hunc sicuti initio facile caueri, & respui posse tradidit: sic semel quasi neglectum, & cordis penetralia ingressum, pernicioſiorem ac difficiliorem cũctis euadere affirmauit [b]; non eo solum quod virtutum actiones impediat [c], sed etiam quod vitiorum cunctorum fons, et origo, ac teste Apostolo,

[a] Io. Cass. de spir. philarg. cap. 2.
[b] Idẽ c. 6.
[c] Idẽ c. 8.

stolo a, *omnium malorum radix existat*. a 1. Tim. 6.

Quare sicuti præfectus arcis, longe à finibus hostes repellere contendit, quoniam cum ijs intra mœnia pugnare longe difficilius sit, ac periculosius? Sic dubium non est, eum qui in tuto velit se aduersus huius criminis insidias constituere, nihil aptius facere posse, quàm illud præcauere, ac longe à domus suæ finibus tanquam suspectum hostem arcere.

Quartum remedium; acquirendi affectum ad alias res transferre.

QVARTVM est, Quemadmodum ijdem medici (horum enim similitudine sæpe vtimur, quod corporis ægritudines cum animi morbis valde conueniunt) qui corpus curant prauis repletum humoribus, dum verentur, ne in caput, aut hepar, siue vitale aliud membrum defluant, vnde totum corpus labefactetur, nec tamen eos funditus euellere valent, studeant illos in alias, atque alias partes minus nobiles diuertere: sic cum hoc tenacitatis, nimiæque parsimoniæ studiũ, ita Senib. sit insitum, & defixum, vt nihil de suo velint deperire, nihil amittere, sed arcte omnia custodire; posset amicorum beneuolentia, & consilium multum eis proficere; qui eis suaderent, vt immoderatum hoc retinendi opes, & conseruandi studium, quod totam corũ mentem occupat, ipsi ad alias res laudabiles cu-

stodiendas, & præsertim ad tépus frugifere exercendum transferrent, eurantes, vt ne momentum quidem illius, ab eis consumeretur. Nam vt ait Seneca[a] *Nemo inuenitur, qui pecuniam suam diuidere velit; vitam vnusquisque quàm multis distribuit? astricti sunt in continendo patrimonio; simul ac ad temporis iacturam ventum est, profusissimi in eo, cuius vnius honesta auaritia est.*

[a] Senec. de breui. vita. c. 3

Itaque sicuti flumina agros inundantia, cum eorum vis exhauriri non possit, quærunt Domini riuulis & cuniculis aliò deflectere, atq; transferre, & quodammodo eorum impetum, & ferociam eludere: sic Senex hoc studio nihil amittendi irretitus, sapienter faciet; si vitæ tépus brevissimum, & hominibus ad bene operandum, & cœlum lucrandum assignatum, nunquam inaciliter, sed quotidie aliquo cum fœnore transegerit.

Quintum remedium multa crebro & libenter dare.

QVINTVM est, ab eorundem medicorũ disciplina collectum: nam quemadmodum ad repellendos varios morbos, non violentis pharmacis, sed magis exercitationibus, deambulationibus, atquẽ alijs familiaribus, ac blandis auxilijs vtuntur, quibus eorum morborum causas leniant, ac læsa membra instaurent: Sic cum illiberalitas, ac possi-

possidendi studium, sit quoddã spiritualis chira, græ genus, quæ digitorum articulos, & plane manum ipsam ne exporecta sit, & prona ad lãt giendũ, aut æs distribuendũ; oportet eũ, qui tali morbo afficitur, curare, vt sint lucernæ ardẽtes, in manib. eius; ac vt pietatis, & misericordiæ dili gat occasiones, quib. se, ac sua exerceat, & impẽ dat, donec nodi hac duritie constricti soluantur, manusque ad porrigendum, ac largiendum prõ pta, atq; expedita reddatur. Et propterea studeat Senex quotidie aliquid erogare, emittere, & do nare; hac enim assidua exercitatione, atque as suefactione, tetram illam, quam Poetæ chiragrã vocant, eo quod nihil porrigat[a], aut prorsus ex pellet, aut proculdubio summopere minui sen tiet; de qua Poeta:

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce laborat.
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est.

[a] *Marti. lib. 2. Epigram. ca 66.*

Sextum remedium curare, vt opum distributio respondeat redditibus.

SEXTVM est, vt meminerint Senes, ad fugiẽdam auaritię notam, vereque liberalitatis bo num comparandum; non satis esse, splendida supellectili domum instruere, lauta conuiuia aliquando exhibere, ac præclara aliqua opera interdum edidisse: veluti quod Altare ad sacrificium Domino offerendum olim erexerint, dotauerint, & ornauerint, siue Ecclesiam magno sumptu semel construxerint, aut collegi m ali-

quod instituerint, aut huiusmodi alia beneficentiæ signa, vel erga Deum, vel erga homines interdum ostenderint.

Nam sicuti impensæ istæ sua laude, & honore sunt dignæ; sic ad iudicium minimè fallax, de hominum largitate, aut tenacitate faciendum, solet populus ad prouentus annuos, ac sumptus qui ab eo fiunt, respicere; & cum impensas non viderit redditibus respondere, sed ab ijs longe superari; tunc non supellectilem, non seruorum gregem, nec alia eius opera, quæ intra parietes priuatos fiunt, & quę tanquam liberalitatis scintillę exterius apparent, & subito euanescunt, magnifacit; vt eum à tenacium, & restrictorum numero eximat.

Vnde generaliter loquendo: qui vult huius vitij suspicionem euadere, curare debet, vt non ad modum inæqualis sit ratio datorum, & acceptorum, sed exercendæ sæpius beneficentię occasiones multas quærat; cum & Theologorum sententia receptum sit, præstare vt plurimum potius, ac multis aliquid, quàm vt paucis multum detur[a].

Et quamuis satis videamus, certam hac in re non posse regulam præscribi; quia tamen agimus nos de euellenda hac tortuosa radice tenacitatis in Senibus; ideo expedire valde videtur, vt frequenter, & varijs occasionibus, & pluribus personis non solum pecuniæ; sed quandoque vestimenta, supellectilia, aliæque res domesticis vsibus necessarię, prolixe in pios vsus dispen-

[a] S. Tho. 2.2.q.32. art.10. S. Anton. par.2.tit. 1.c.24. Bellarm. lib. 3. de bonis operib. c.13. in fin.

spensentur; cum sic auaritiæ fomes magis retundatur: dummodo hæc largitas cum dierum cursu continuetur, & eo plenius exerceatur, quando calamitas aliqua ingruerit, aut insignis alia occasio id postularit.

Septimum remedium propinquorum contubernia vitare.

SEPTIMVM est, quod cum immoderata hæc congerendæ pecuniæ sitis, præter affectæ ætatis impulsum, plerumque etiam ex nimio erga propinquos, & consanguineos affectu, quos opibus ditare, & redditibus cumulare Senes cupiunt, soleat proficisci: prout etiam Tridentino Concilio [a] continetur, dum admonet Ecclesiasticas personas, vt omnem hunc carnis affectum erga fratres, nepotes, aliosque coniunctos, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Propterea, vltra ea, quæ aliàs hac de re attigimus [b]; cum vsus ipse quotidianus doceat, difficile valde esse, congruam in his moderationem adhiberi: Idcirco animaduertentes, rem non vno, sed pluribus remedijs indigere; prætermittendum non putauimus, hoc loco id subijcere, quod à sapientibus viris maxime commendatum nouimus.

[a] *Sess. 25. c. 1. de refer.*

[b] *In 2. par. pag. 112. & sequent.*

Nam cum vsus ipse doceat, quando cognati in eodem cõtubernio, atque ante oculos eorum, qui Senectute sunt confecti, versantur; eo arden

quod instituerint, aut huiusmodi alia beneficentiæ signa, vel erga Deum, vel erga homines interdum ostenderint.

Nam sicuti impensæ istæ sua laude, & honore sunt dignæ; sic ad iudicium minimè fallax, de hominum largitate, aut tenacitate faciendum, solet populus ad prouentus annuos, ac sumptus qui ab eo fiunt, respicere; & cum impensas non viderit redditibus respondere, sed ab ijs longe superari; tunc non supellectilem, non seruorum gregem, nec alia eius opera, quæ intra parietes priuatos fiunt, & quę tanquam liberalitatis scintillę exterius apparent, & subito euanescunt, magnifacit; vt eum à tenacium, & restrictorum numero eximat.

Vnde generaliter loquendo: qui vult huius vitij suspicionem euadere, curare debet, vt non admodum inæqualis sit ratio datorum, & acceptorum, sed exercendæ sæpius beneficentię occasiones multas quærat; cum & Theologorum sententia receptum sit, præstare vt plurimum potius, ac multis aliquid, quàm vt paucis multum detur[a].

[a] S. Tho. 2.2.q.32. art.10. S. Anton. par.2.tit. 1.c.24. Bellarm. lib. 3. de bonis operib. c.13. in fin.

Et quamuis satis videamus, certam hac in re non posse regulam præscribi; quia tamen agimus nos de euellenda hac tortuosa radice tenacitatis in Senibus; ideo expedire valde videtur, vt frequenter, & varijs occasionibus, & pluribus personis non solum pecuniæ; sed quandoque vestimenta, supellectilia, aliæque res domesticis vsibus necessarię, prolixe in pios vsus dispen-

spensentur; cum sic auaritiæ fomes magis retundatur: dummodo hæc largitas cum dierum cursu continuetur, & eo plenius exerceatur, quando calamitas aliqua ingruerit, aut insignis alia occasio id postularit.

Septimum remedium propinquorum contubernia vitare.

SEPTIMVM est, quod cum immoderata hæc congerendæ pecuniæ sitis, præter affectæ ætatis impulsum, plerumque etiam ex nimio erga propinquos, & consanguineos affectu, quos opibus ditare, & redditibus cumulare Senes cupiunt, soleat proficisci: prout etiam Tridentino Concilio [a] continetur, dum admonet Ecclesiasticas personas, vt omnem hunc carnis affectum erga fratres, nepotes, aliosque coniunctos, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Propterea, vltra ea, quæ aliàs hac de re attigimus [b]; cum vsus ipse quotidianus doceat, difficile valde esse, congruam in his moderationem adhiberi: Idcirco animaduertentes, rem non vno, sed pluribus remedijs indigere; prætermittendum non putauimus, hoc loco id subijcere, quod à sapientibus viris maxime commendatum nouimus.

[a] *Sess. 25. c. 1. de refer.*

[b] *In 2. par. pag. 112. & sequent.*

Nam cum vsus ipse doceat, quando cognati in eodem cõtubernio, atque ante oculos eorum, qui Senectute sunt confecti, versantur; eo arden-

tius Senes seipsos toto pectore, ac viribus in eos effundere, vt illos quàm maxime diuites, magnificos, atque excelsos relinquant; propterea quod vitam hanc mortalem, ex qua migrant, & rerum suarum splendorem, in propinquis suis quodammodo continuandum esse, perperam arbitrentur.

Quapropter ad immoderatum hunc sanguinis affectum, ac proinde locupletandi nimium cognatos, studium comprimendum, id saluberrimum esse consilium sapientes tradiderunt: hos ipsos carnis necessitudine coniunctos procul à conuictu suo disiunctos, & segregatos detinere; nihil ideo tamen quod honestum sit, illis denegando; sed (vt ad Ecclesiasticos ait Concilium) si pauperes sint, ijs vt pauperibus res Ecclesiasticas distribuendo; moribusque, doctrina, ac bene viuendi institutis eos potius, quam terrenis opibus augeri, & locupletari contendendo.

Quod quidem consilium, tametsi ad personas ecclesiasticas præcipue pertinere, nec ita apte alijs congruere posse videatur; quia tamen, bene agendi exempla, ab eis in alios debent deriuari; & hic de morbo ferè insanabili curando agimus, cui cum vulgaria remedia parum prodesse conspiciantur, ad alia acriora, ac potius violenta est recurrendum, ideo prætermittendũ non fuit, Senes hac immodica cupiditate propinquos vltra quàm decet, locupletandi, ac familiam opibus cumulandi oppressos, admonendos esse, ne melius alijs, quam sibi ipsis, & ani-

mæ

mæ suæ esse velint; cum & veteres Sancti Patres [a], frequentem hunc morbum, propinquitatis, & cognationis nimium augendę, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus defixum, grauiter detestati fuerint: & ad cautiones omnes, ac remedia aduersus hanc luem adhibenda, ne seipsos hoc ineptæ vanitatis studio, in perpetuum condemnent, eos mouere studuerint.

Ac propterea nos quoque, illos ad omnia bene examinanda, ac auxilium illud, quod secundum Deum, atque animæ suæ securitatem aptius visum fuerit, amplectendum, non possumus non vehementer eos excitare, atque vrgere.

[a] Salui. ad Eccl. tot. orb. diffus. li. 2 S. Hyeronimus cõtra Iouin. S. Aug. in ps. 108. Ioan. Molan de pijs testib. c. 4.

Octauum remedium pecuniarum omnium intuitum declinare, & œconomos constituere.

OCTAVVM est, vt cum ea sit naturæ nostrę fragilitas, & propria quędam auri vis quæ respicientium animos allicit, attrahit, & quodammodo detorquet, ita vt ab ipsis illico deflectatur: quod a philosophis, & medicis naturalium rerum peritis comprobatum est [b] optimum solet consilium illud censeri: vt Senes, qui ætate eos vrgente, & natura ferè duce, in auaritiam sunt propensi: studeant ad propensionem hanc vitandam, aut saltem reptimendam ab omni non solum auri, sed etiam argenti & pecu-

[b] Matthiol. in li. 5. Dioscorid. c. 69.

niæ, quæ cum auro facile permutari potest, & diuites homines facit, collectione, atque tractatione, & intuitu etiam, quoad fieri poterit, se abstinere.

Ad quod pertinet plurimum id, quod in Calcedonensi Concilio [a], ab Episcopis animaduersum fuisse legimus; dum mandat œconomos; & consiliarios deligi, qui fructus mensæ Episcopalis dispensent, ne Prælati ijs administrandis occupentur.

a Ca. 20.

Quod decretum quamuis ad Episcopos, & Antistites spectare videamus, idque rationibus aliquot, quæ non ita alijs Senibus, qui sęculares sunt, videntur conuenire: attamen cum inter cęteras causas, ea sit ferè præcipua, vt omnem auaritiæ, ac prauæ erogationis suspicionem à se auertant: visum hoc fuit rei nostræ valde oppositum. quoniam cum auaritia, vt Sacri Theologi tradunt, peccatum sit spirituale, quo auarus capitur, oblectans animum suum ea cogitatione, quod possessorem se esse cognoscat multarum diuitiarum [b]: vnde & in Euangelio dicitur: *Vbi Thesaurus tuus, ibi est & cor tuum* [c].

b *Greg. li. 31. moral. c. 17. & S. Tho. 2. 2. q. 118. ar. 6. in Resp.*

c *S. Mat. cap. 6.*

Propterea Ecclesiasticum remedium non inepte fæculari etiam gradui conuenit; vt quando Senex affectum suum ad pecuniam coaceruandam allici omnino sentit, ac ista veluti morosa delectatione se interdum detineri videt; cum certissimum illud sit argumentum, cor eius criminis huius insidijs illaqueatum, salubre admodum remedium id existimet, vt ab omni incipiat

piat auri, argenti, atque opum contrectatione, administratione, ac ratione se abducere, atque œconomos aliquos, ac prudentes rerum suarum administratores deligere, quibus in illa ætate hæc omnia gubernanda relinquat: sicuti solent, qui peregre in prouincias remotas prò ficiscuntur, siue extraordinarijs negocijs distinentur, adeò vt nequeant ita commodè res proprias curare, prout etiam multorum exempla Principum id possunt suadere, qui in ætate Senili non solum totius domus, sed etiam dominij imperij regimẽ totum alijs commiserunt, vt ipsi ab omni terrenarum rerum administratione, ac studio liberi, animæ saluti expeditius prospicerent.

Hinc igitur Senes prouidi, aut alijs occasionibus, quas eis afferet prudentia, edocti; si statim incipient pecuniæ suæ administrationem alijs mandare, magno se onere leuatos, ac plurimo auxilio adiutos agnoscent; ne ab alijs nimium ad rem suam attenti habeantur, & re ipsa pristinam illam sitim, sensim minui, & Deo largiente, extingui perspicient.

Nonum remedium occasionem dandi quærere, & exercere.

NONVM est, vt qui vitia hæc omnia Senectuti annexa declinare prorsus cupit: hic non solum ea vitibus cunctis auertere conten-

dat

dat, sed etiam largiendi alijs occasionem (vt aiit Seneca) cogitet; atque non tantum magis profusionibus, sed etiam alijs, atque alijs dandi generibus, modo largioribus, modo leuioribus, etiam munusculis dispertiédis, liberalem hunc suum animum crebro declaret; vt in hoc genere largiendi, se indefatigabilem, atq; inexhaustum (quatenus vires suæ patiuntur) publice, priuatimque ostendat.

Decimum remedium suspectum semper se habere auaritiæ criminis.

DENIQVE, vt finem faciamus: si quis curationes omnes, aut remedia superius tradita summatim colligere, atque in vnum complecti cupiat, ea nos ad id breuiter redigi posse iudicamus: Nempe ut sibi persuadere omnino velit Senex, sicuti canities, & tussis, & distillatio, & iracundia, ac morositas quædam Senij propria sibi cum ætate superuenit; Sic etiam affectum hunc, ac delectationem multa possidendi accessisse, quam parens natura, quasi in compensationem aliarum difficultatum, quæ Senium sequuntur, tanquam solatium quendam ad cætera perferenda (vt veteres dicebant) voluit impertiri.

Vnde non est, quod quisquam sibi iniuriam fieri

ſieri exiſtimet, quod in hanc cupiditatem adeo propenſus, ac ferè præceps (quod ætatis eſt) habeatur; ſed tunc quidem doleat, ſi vim hanc immodicam, aut nolit agnoſcere, aut agnitam non temperare. Nec miretur etiam, ſi cum perſpicaci polleat ingenio, quiduis potius, quàm ſe hoc morbo laborare (inſpecto rerum ſuarum ſtatu) arbitretur. Nam vt præclarè à Seneca ſcriptum fuit[a], Corporis morbi quo grauiores ſunt, eo magis ſentiuntur, diligentiuſque curantur, at verò animi morbi, quo grauores, & diuturniores ſunt, eo minus ſentiuntur; atque eo magis negliguntur, cum rationis lumen obſcurent, & inualeſcente prima conſuetudine, ſtuporem menti, atque inſenſibilitatem quandam inducant.

[a] *Seneca in Epiſtolis.*

SEXTVS ARTICVLVS.

Auaritia congruo ſenſu accepta bonum Senectutis confirmat.

His abſolutis, ſupereſt nunc ſextus & vltimus articulus, quo declarandum eſt, quomodo hæc auaritia, quam adeo ingraueſcenti ætati annexam eſſe diximus, nõ tollat Senectutis bonum.

Qua in re quamuis breuiter reſpondere poſſemus, tunc demum auaritiam Senili dignitati abeſſe, cum eam Senes fouent, & arctè complectuntur,

ctuntur & ideo non ętatis, ſed perſonæ eſſe vitium; noſque varia iam remedia prodidiſſe, quibus Senes huic morbo poſſint occurrere, atque ab hoc contagio ſe prorſus liberare.

Attamen quia id nobis propoſitum eſt, vt oſtendamus, hoc Senectutis Bonum non ſolum ab omni culpæ malo integrum ſeruari; verum etiam eiuſmodi eſſe, vt homines ſi eo cogrue vtantur, multis, ac maximis commodis cumulet, atque aliarum ætatum damna ſarciat.

Propterea hoc à nobis in præſenti vt comprobetur, præfandum illud erit, quod aliàs ſupra indicatum fuit; hoc ſcilicet auaritiæ nomen duplici cenſu, pro rerum de quibus agitur varietate, ſolet ſumi; altero vulgari, & craſſiore, de quo egimus [a]; altero puriore, & cum laude coniuncto. Sicutis in ſacris literis permulta ſunt huiuſmodi vocabula, quæ non ſolum ex ſenſu, quem litera oſtendit, ſed etiam ad ſpiritualem intelligentiam transferuntur: Sicuti IGNIS, de quo dixit ſaluator [b]: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Et AQVA, cum ait [c]: *Qui biberit ex aqua, quam dabo ei, non ſitiet in æternum.* Et PANIS; cum inquit [d]: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Et alia huiuſmodi innumera.

[a] Supra pag. 121. & ſeq.

[b] S. Luc. c. 12.

[c] S. Io. c. 4.

[d] S. Io. c. 6.

Auaritiam in bonam partem.

ITAQVE, nunc etiam ſecundum hanc nobiliorem acceptionem nos Auaritiã vſurpamus, hac in re bonos auctores imitati quando volunt homines admonere, vt vitiorum occaſiones, & pericula declinent; nam hoc ferè loquendi modo vtuntur, vt inſtruant eos parciſſimos, ac maximè reſtrictos eſſe in ijs actionibus amplectendis, in quibus facile humana natura labi, & periclitari ſolet: veluti cum admonent, vt ſint continentes & admodum parci in cibo, potu, curioſitate, voluptate, deſidia, garrulitate, aſpectu mulierum, iactantia, atque alijs eiuſmodi; ex quibus vt plurimum, ob humanam fragilitatem, lapſus, & vitia oriri ſolent.

Sic etiam Auaritiæ nomen ad hunc ſenſum, atque in bonam partem transferunt; vt ſicuti parſimonia, & tenacitas in iis rebus ab illis commendatur, quarum largior vſus nocere poteſt: ſic Auaritiæ affectus probetur in ijs rebus conquirendis, & retinendis, quæ vero prodeſſe ſolent: ita vt nihil aliud ſit hæc, quam dicimus ſpiritualem Auaritiam, quàm intimum quoddam hominis ſtudium vere diteſcendi, ac bona perennia ad vſum ſuum accumulandi.

QVAPROPTER reſpondemus, quamuis omni hominum ætati hoc ipſum deſiderium comparandi ſibi veros theſauros, & indeſcienti-

tia bona aggregandi, fuerit à Deo insertum: magna tamen ratione hanc solicitudinem in Senectute præcipue fuisse immissam: vt scilicet Senes cum declinante ætate, sibi membra debilitari, corpus langueſcere, sensusq; omnes quotidie magis comminui, atque eneruari videant, nec sibi spem vllam detrimenta hæc sarciendi in præsenti vita supereſſe agnoscant: ijdem excitarentur magis ad alia bona, quæ perpetua sunt, & saluberrima, omni conatu, & studio expetenda, & adipiscenda. Hocque est studium illud lucrádi, quam spiritualem Auaritiam vocamus: Senibus à cęlesti misericordia infixã, ad miserias sua solandas, & ad reliquum, quod eis restat vitæ spatium exhilarandum.

Quare cum Senes longa experientia edocti deprehenderint, non satiari homines, quibuscúque terrenis bonis acquisitis, quia non inueniũt in illis id, quod quærunt, cum hanc saturitatem præstent tantum bona cęlestia: & amplius viderint deficientibus sibi in dies magis bonis corporis, maiorem bonorum cęlestium ardorem excitari: sicut ignis, deficiente in qua ardeat materia maiores quandoque flammas emittere solet; & sicuti grauia eo maiore impetu feruntur deorsum, quo sunt propinquiora centro, qui proprius eorum locus est; sic datum fuit Senibus, vt ad cœlestem Patriam, tãquam finem properantes, eo vehementius desiderio vrgerentur, ad illa bona tandem perueniendi.

Demo-

Damonis astu deorsum deflecti hominum studia sursum dirigenda.

VERVM quid factum est? agnoscens Princeps tenebrarum, & perpetuus salutis nostræ hostis, si desiderium hoc Senibus succedat, atque voti huius, quod Diuina eis gratia ingenium fuit, compotes efficiantur, magnam regno illius perniciem affetri; conatus semper fuit, nec adhuc desinit, cupiditatem hanc, quæ sursum dirigenda erat, deorsum deuoluere, atque connaturalem hanc senectutis auaritiam, quæ in acquirendis, & conseruandis cœlestibus rebus occupanda erat, ad inanium pecuniarum augmentum, & tenacitatem deflectere. Quod quidem illius astu, in alijs multis huiusmodi causis accidere solere nonnulli docti, & pij viri præclatis rationibus, atque exemplis persequuti fuerunt[a].

[a] Granto. 2. conc. post Do. 3 quad. fer. 6. conc. 3.

Ecce enim sicuti initio omnibus hominibus, qui in hoc mundo oriuntur, omnipotens Deus, & parens noster defixum in animo vniuscuiusque illud esse voluit, vt eundem tãquam rerum omnium conditorem, nostrorum beneficiorum auctorem, ac denique summæ nostræ facilitatis effectorem coleremus; & veneraremur; cæcõ tamen errore, atque Diaboli fallacia homines excæcati, cum finem hunc, & religionis cultum, in quo vere positus esset, ob corporis impedimentum non assequerentur; ceperunt per hæc mun-

di fa-

di fabricam oculos circumducere, atque illa, quæ eis pulcherrima, potentissima, iucundissima, atque humanæ vitæ maxime salutaria visa fuerunt, pro vero Deo colere. Quare solem, lunam, & sydera in Deorum numero aliqui posuerunt; alij stultius progressi, diris etiam animantibus, vt Crocodilis, Serpentibus, & Draconibus Diuinitatis honorem tribuerunt; imo & in hortis Diuinitatem locauerunt; allia, & cepas pro Dijs venerantes.

Sic Senilis ætas, cui hoc desiderium vera bona obtinendi, à Deo fuerat tributum, vt se illius solatio tueretur; ad res abiectissimas perquirendas, omnique affectu procurandas, metalla scilicet terræ ex abstrusis eius visceribus eruenda, ac intimo affectu amplectenda, ac penè adoranda deuexit.

Idem & in desiderio immortalitatis accidisse videmus, quod cum naturaliter omnib. innatú fuerit, multos tamen esse comperimus, qui relicta vera immortalitatis sede, ad inanes in hoc mundo titulos, insignia, imagines, inscriptiones, aliasque vanas huiusmodi rerum species, illud conuerterunt; existimantes, ex his tam leuibus, ac fragilibus figmẽtis perpetuam sibi gloriam, & famam comparare posse.

Quod idem pariter in acquirenda felicitate factum est; nam cum ea ex cœlesti tantum patria sit haurienda, miseri tamen homines plurimi in honoribus, seu corporis voluptatibus, aut summo imperio, siue Principum amicitijs; aut splẽdido

dido domus ornatu, siue in magno clarorum virorum, cum in publicum prodeunt, comitatu, siue in argenteis abacis, pretiosisque vasis, ac conuiuiorum exquisitissimo apparatu ponendam putarunt, affectantes hæc magna anxietate, & perpetua quadam solicitudine, ne quid minus in eorum ædibus, quàm in alijs appareat.

Senilis ætas quomodo se ad terrestria bona transtulerit.

ITA etiam in hoc ipso, de quo agimus, lucrandi, & bona agregandi studio sequutum fuisse, in Senili multorum ætate videmus; vt veris bonis relictis, quæ ex hac connaturali Senectutis auiditate expetenda erant, se ad infima ista conuertit, in eaque finem ferè suum, summumque bonum constituerit: quod spiritualis cuiusdam idolatriæ genus est, cum hæc supra Deum, & eius mandata diliguntur; ac in his rebus felicitatem Senes licet non verbis, rebus tamen ipsis, et moribus euidenter se posuisse demostrent; & quodammodo à voluntate ad intellectum, nefarium hoc monstrum, ac simulachrum transtulerint.

spiri-

Spiritualis auaritia Bonum Senectutis confirmat.

VNDE aperte satis colligitur, hanc Senilem ad veras opes acquirendas; & retinendas propensionem, quam spiritualem auaritiam dicimus, Bonum Senectutis non infringere, sed magis stabilire; cum hoc stimulo Senex ad cęlestia tanto magis inflammetur, quanto clarius videt, licet omnes mundi diuitias accumulet, núquam tamen facultatem sibi ad futurã vt illis naturæ deficientis languoribus, ac miserijs possit obsistere; quæ bonorum tantum æternorum possessione, nec aliter possunt plene superari.

Quæ omnia cum à multis Sanctis Patribus, alijsque Ecclesiasticis auctoribus, varijs tum rationibus, tum documentis illustrata reperiantur; nec desint innumera ferè in vitis Sanctorũ Patrum exempla, qui se à terrenis istis opibus, ad cęlestium desideria fęliciter transtulerunt; ideo non amplius in his progrediendum, sed finem huic secundæ parti imponendum esse censuimus.

Finis Secundæ partis.

GABRIE-

GABRIELIS PALAEOTI S. R. E. CARDINALIS.

De Bono Senectutis,

PARS TERTIA.

POST sublatas difficultates, quæ aduersus SENECTVTEM obijciebantur, ac post statum illius ab ijs culpis, quæ vulgo in ipsam conijciuntur, vindicatum: supereſt iam, vt reliqua, quę instituto nostro sunt necessaria, persequamur; quæ quatuor planè sunt.

Primum est: hoc quod dicimus Bonum, Senectuti maxime conuenire.

Secundum: quibus gradibus ad hoc ipsum Bonum obtinendum, sit perueniendum.

Tertium: qui sint fructus, qui à Senibus colligi solent.

Quartum varias auctoritates continet, quibus Bonum hoc Senectuti ineſſe, communi ferè omnium conſenſu concluditur.

Ex iſtis, finis præſenti diſputationi noſtræ imponitur.

QVOD igitur ad primum attinet, vt oſtendamus Bonum, de quo agimus, Senectuti maxime conuenire: viſum nobis fuit, præter ea, quæ ſupra veluti præfationis loco, cum de Senectutis radicibus ageremus; adnotauimus[a]; nunc varias animaduerſiones, ſeu declarationes ad Senectutem ſpectantes adijcere, vt eo magis Senij dignitas illuſtretur. Ex quibus maior etiam totius argumenti ſuſcepti explicatio ſe proferet, ne quis lectori hærendi locus relinquatur.

[a] Sup. par. 2. pag. 94. & ſeq.

PRIMA DECLARATIO.

Bonum Senectutis non omnia bona complectitur.

QVAPROPTER primum illud erit; Bonum quod Senectutis appellamus, quamuis ita generaliter à nobis prolatum, non ideo tamen omne bonorum genus comprehendere. Nam cum triplex illud ſit, vt omnes norunt, videlicet animi, corporis, & externum; (ſiue vt alij diſtinguunt) Bonum iucundum, vtile, & honeſtum; non contendimus, hæc omnia in Senectute, cadere, quia ita Senectus non bona ſo-

lum,

tum, sed etiam beata vocanda esset. Quod quidem in præsenti vita, in nulla prorsus ætate conceditur, prout res ipsa absque alia probatione testatur; cum huiusmodi felicitas, & totius boni consumatio, in cœlesti tantum patria sit expectanda.

LOQVIMVR hic igitur de eo Bono, quod tametsi absolutissima illam formam non attingit; suam tamen in hac vita perfectionis speciē obtinet, præsertim comparatione aliarum ætatum. Nam cum ab vsu rectæ rationis hoc Bonū pendeat, vt aliàs diximus, rationisque vsus in Senectute, quàm in alijs ætatibus, multo sit præstantior, sequitur vt præcipuo, ac quodam potiori modo, bonum Senectuti tribuendum esse videatur.

Non tamen existimet quisquam accipi à nobis hoc Senectutis bonum eo sensu, vt omnes Senes æquè eo abundare sentiamus; tale enim naturæ solius munus esset, non etiam humanæ voluntatis, aut electionis.

VERVM id nos significare cupimus, nullā ætatem perinde ac Senectutem, aptam esse homini hanc bonitatem impertiri. Senectus enim vidit, & experta est fallacias mundi, exuit ardorem passionum, & mortificauit (vt plurimum) sensus, atque exitum vitæ suæ ante oculos habet.

Itaque si ætas vlla reperitur, quæ hominem reddere bonum possit, illa vna Senectus est; atque ideo dicitur Bonum Senectutis, non quia

Quartum varias auctoritates continet, quibus Bonum hoc Senectuti ineſſe, communi ferè omnium conſenſu concluditur.

Ex iſtis, finis præſenti diſputationi noſtræ imponitur.

QVOD igitur ad primum attinet, vt oſtendamus Bonum, de quo agimus, Senectuti maxime conuenire: viſum nobis fuit, præter ea, quæ ſupra veluti præfationis loco, cum de Senectutis radicibus ageremus; adnotauimus[a]; nunc varias animaduerſiones, ſeu declarationes ad Senectutem ſpectantes adijcere, vt eo magis Senij dignitas illuſtretur. Ex quibus maior etiam totius argumenti ſuſcepti explicatio ſe proferet, ne quis lectori hærendi locus relinquatur.

[a] Sup. par. 2. pag. 94. & ſeq.

PRIMA DECLARATIO.

Bonum Senectutis non omnia bona complectitur.

QVAPROPTER primum illud erit; Bonum quod Senectutis appellamus, quamuis ita generaliter à nobis prolatum, non ideo tamen omne bonorum genus comprehendere. Nam cum triplex illud ſit, vt omnes norunt, videlicet animi, corporis, & externum; (ſiue vt alij diſtinguunt) Bonum iucundum, vtile, & honeſtum; non contendimus, hæc omnia in Senectutem cadere, quia ita Senectus non bona ſolum,

sum, sed etiam beata vocanda esset. Quod quidem in præsenti vita, in nulla prorsus ætate conceditur, prout res ipsa absque alia probatione testatur; cum huiusmodi felicitas, & totius boni consumatio, in cœlesti tantum patria sit expectanda.

LOQVIMVR hic igitur de eo Bono, quod ametsi absolutissima illam formam non attingit; suam tamen in hac vita perfectionis speciē obtinet, præsertim comparatione aliarum ætatum. Nam cum ab vsu rectæ rationis hoc Bonū pendeat, vt aliàs diximus, rationisque vsus in Senectute, quàm in alijs ætatibus, multo sit præstantior, sequitur vt præcipuo, ac quodam potiori modo, bonum Senectuti tribuendum esse videatur.

Non tamen existimet quisquam accipi à nobis hoc Senectutis bonum eo sensu, vt omnes Senes æquè eo abundare sentiamus; tale enim naturæ solius munus esset, non etiam humanæ voluntatis, aut electionis.

VERVM id nos significare cupimus, nullā ætatem perinde ac Senectutem, aptam esse homini hanc bonitatem impertiri. Senectus enim vidit, & experta est fallacias mundi, exuit ardorem passionum, & mortificauit (vt plurimum) sensus, atque exitum vitæ suæ ante oculos habet.

Itaque si ætas vlla reperitur, quæ hominem reddere bonum possit, illa vna Senectus est; atque ideo dicitur Bonum Senectutis, non quia

absolute hoc sit omnino bonum ; sed quoniam proxime ad illud accedit, et quodammodo bonitatis fores attingit.

SECVNDA DECLARATIO.

Bonum Senectutis ac bonam Senectutem, idem non esse.

AD hæc sciendum est, non eodem sensu à nobis Bonum Senectutis, & Bonam Senectutem accipi, cum valdè hęc diuersa sint, Siquidem de Bona Senectute, quæ à Græcis dicitur, εὐγηρία agit Aristoteles in Rethoricis a, eamque recenset inter partes felicitatis ; vt scilicet tardè quis senescat, & sine dolore, ac molestia, & Senectus ipsa cumulata sit corporis, & fortunę bonis.

a *Arist. 1. Reth. c. 5.*

At verò Bonum Senectutis est, honestè viuere, virtutes colore, & naturæ hominis, quæ ratione prædita est. conuenienter operari ; quod à bona Senectute diuersum est, quamuis hęc nomina aliquando confundantur.

Sed nos strictim, atque appositè magis hæc sumentes, dicimus ea inter se differre, & vt diuersa à grauissimis etiam auctoribus accipi solere, sicuti & alia multa huiusmodi [illegible], exępli causa: Bonum mortis vocamus, de quo scripsit sanctus Ambrosius, quod cōsistit in fructu illo precipuo qui ex morte cōsequitur ; differtque à bo-

na

na morte, quę respicit potius moriendi causam, rationem & modum, vt si tranquillus, placidus, ac sensibus ferè integris. Sic aliud dicetur bona dies, aliud bonum diei; cum illa significet diem lætam, serenam, & tranquillam; bonum verò diei ostendat commodum illud, seu lucrum, quod ex diei progressu percipitur. Itidem aliud est administratio bona, aliud bonu administrationis. Nam administratio bona est, quæ geritur à magistratu cum iustitia, affabilitate, religione, & sapientia; at bonum administrationis est pax, annonæ abundantia, securitas, legum custodia, & disciplina.

Sic igitur & bona Senectus dicetur more Philosophi, quæ diuturna, prospera, valida, ac optatis rebus feliciter affluit. Bonum verò Senectutis erit, quod ex Senecture tanquam messis colligitur, cum Senex fructus edit sapientię, moderationis, probitatis, religionis, & aliarum virtutum.

Quare in aliquibus Senibus interdum est vtrumque Bonum reperire; nempè quia ad tardā peruenientes Senectutem, viribus corporis, & externis commodis vigent, & simul mente, consilio, ac prudentia excellunt.

Alij in matura illa ætate vtroque Bono destituuntur, cum nec corporis, nec animi viribus valeant.

In nonnullis aliquando deprehenditur Bona Senectus, sed non Bonum Senectutis; veluti ijs contingit, qui cum bonis corporis, & externis

abundent, à virtutibus tamen longè absunt, nec Seniles mores proferunt.

In alijs denique Senectus deprehenditur haud bona, quippè quę est infirma, atque inops, fulget tamen Bonum Senectutis, sicuti de multis viris Sanctis legitur, qui grandæui ætate in summa egestate, & corporis debilitate, cum tamen animi hilaritatem, sapientiam, ac religionem retinuerunt, vt ad eos alij in sui angustijs, & afflictionibus recreationis, consilijque causa confugerent.

HAEC nos, quantum videmus, ita inter sese distinguenda existimaremus. Cæterum non ignorauimus, inueniri viros non vulgares, qui omni discrimine sublato inter Bonam Senectutem, & Bonum Senectutis, vnico nomine Bonæ Senectutis censent non solùm bona corporis, atque externa, sed etiam quæ mentis sunt, ac prudentiæ continent: adducti aliquot sacræ scripturæ locis, in quibus Bona tantum Senectus, & non Bonum Senectutis nominatur [a]; & præsertim ex loco Geneseos, quo legitur [b]: *Fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni, & deficiens mortuus est in Senectute Bona, prouectæque ætatis, & plenum dierum.*

[a] Genes. c. 25. 1. Paralip. c. 29 Iudic. c. 8. Thobiæ c. 14.

[b] Genes. 25.

Quibus ex verbis colligunt, tria Senectutem Abrahæ maximè insignem, & beatam reddidisse. Primum ad vitæ longitudinem attinet, cum dicatur prouectæ fuisse ætatis. Secundum ad actiones vitæ illius, qui plenus dierum, ideſt bonorum operum copia viguerit. Tertium ad me-

dum

dum decedendi, qui deficiens mortuus fuerit, quasi naturali dissolutione, cum magna lenitate, & facilitate: & hæc omnia aiunt verbis illis cōtineri, *in Bona Senectute*; ita ut Bona Senectus illa appelletur, quæ ista simul comprehendit.

Cui quidem expositioni, tametsi ob illorū, qui hæc tradiderunt, eruditionem, & dignitatem, nostri non sit consilij vllatenus detrahere; quia tamen argumentum, in quo versamur, eiusmodi est, ut nisi hæc accuratius explicentur, magnam possent nostræ tractationi difficultatem afferre; ideo nonnulla hic necessario subijcienda esse duximus; quæ lectori maturius consideranda proponimus.

PRIMVM illud in vniuersum est, hoc nomen Bona Senectus, quæ εὐγηρία, dicitur, diuerso sensu à Græcis solere accipi [a], nempe vt bona tantum corporis & externa, non autem quę bona sunt animi, propria sua significatione comprehendat. Et quamuis sacra Biblia ex septuaginta Græcorum interpretatione non vtantur hoc nomine εὐγηρία, sed dicant modo illum mortuum esse ἐν γήρᾳ καλῷ [b], modo decessisse ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, [c] modo dicant ἐγήρασεν ἐν τίμως, [d]. Attamen quia bonæ Senectutis vocabulū, quo apud Latinos vtimur, cōe est omnibus illis loquendi modis, quæ idē ferè sonant, & vulgata Latina lectio in sacris litteris semper reddit vocabulum Bonæ Senectutis cunctis ijs locis; sicuti cum apud Græcos auctores reperitur verbum εὐγηρία, interpretes vertunt Bonam Senectutem

a Arist. 1. Rhetor. c. 5.

b Gen. 15. & 25.

c Iudicū c. 8.

d Thobiæ 14.

propre-

propterea cum nos agamus in præsenti, quid bone Senectutis nomine propriè contineatur; existimamus superiorem illam explicationem, qua insinuari videtur hoc nomine bonæ Senectutis, in vniuersum, & ex propria significatione tria illa bona comprehendi, acutratione aliqua animaduersione indigere.

SECVNDVM est, quod cum plurimi viri sancti, & Deo grati veterum illorum temporum à Solomone [a], & ab Apostolo [b] memorentur; mirum videri potest in sola Abrahæ Senectute tres qualitates numerari, quæ alijs in locis non traduntur; & propterea hoc ipsum nomen bonæ Senectutis non nisi tribus, aut quatuor illorum temporum viris tribui. videlicet Abrahæ, Dauidi, Gedeoni, & Soceris Thobiæ, cum tamen plurimi extiterint longioris vitæ, & plenioribus fortasse operibus cumulati.

a Eccl. c. 49. & 50.
b Ad Hebr. c. 11.

TERTIVM est, quod cum in lege noua nusquam hoc verbũ Bonæ Senectutis reperiatur, nõ videtur ita generaliter pro regula constituti posse, eam tantum bonam Senectutem esse appellandã, quæ trib. his reb. cõstet; quoniã hoc pacto bona Senectus núquã, aut perraro ad Christianos pertineret, qđ maxime cõsiderandũ est.

QVAPROPTER, vt sensum nostrum qualemcumque aperiamus, interimque Rabbinorum varias de his interpretationes a vulgata lectione alienas omittamus (non quidem eas auctoritate damnantes, aut negligentes, sed quòd rei nostræ non ita seruiant, ac ne longius vagari, atque à propo-si-

proposito discedere compellamur) hoc vnum satis probabiliter censeri posse arbitramur, nomē bonæ Senectutis aliter apud Gentiles, aliter in lege veteri, aliter in lege noua sumptum fuisse. Nam hoc nomen, quod apud Grecos δι'γηρία, dicitur, videntur gentiles eo potius sensu ex propria verborum vi accepisse, vt scilicet bona tantum corporis, & externa in eo includerent: non quidem vt inde bona animi omnino excluderent, aut quod ista ad eam, quam ipsi vocant felicitatem aliqua ex parte non attinerent, sed quod propria vocabuli significatione ea non necessaria esse intelligerent.

In lege autem veteri consentaneum satis est, hoc nomine tria in bona integrè comprehensa fuisse, quæ supra tradita sunt, cum loqueremur de Abram, & alijs illis sanctis Patribus, quibus hoc nomen bonæ Senectutis tribuitur. Nā in ijs præter corporis incolumitatē, ac opes externas, ea etiam potissimum adfuisse, quę ad iustitiam, & vitæ probitatem pertinent, non est dubitandum. Nec mirum videatur in bona Senectute veterum illorum Sanctorum Patrum longæuā uitam adeo memoratam fuisse, quod in noua lege nusquam fortasse reperitur.

Nam cum eo tempore nondum ianuæ cęli fidelibus apertæ essent, sed Christi Redemptoris aduentus, ac beata spes Crucis trophæum expectaretur; sanctis illis patribus pie, & iuste viuentibus, bona potius temporalia, & commoda externa promittebantur. Et inter cætera genus

quod-

quoddam præmij, & ſelicitatis erat, vt diu viuerent in mundo, & longam ſuper terram protraherent Senectutem; ac pleni dierum, & bonorũ operum, cum tranquilitate, & ſine vllo ferè doloris ſenſu deficientes hinc tranſmigrarent; poſteaque exacta hac vita limbum Patrum tranſirent; ibi premanſuri, donec mediator Chriſtus Dominus æternas beatitudinis fores reſeraret.

Idcirco in veteri lege, non ſæpe, & non ita clare & explicite, prout in lege Euangelica Regnũ cœlorum, aut ęternam beatitudinem memorari videmus, vt Saeri Doctores adnotarunt [a]; ſed potius ac frequentius bona temporalia, filiorũ ſucceſſiones, inimicorum victoriæ, et commoda huius ſæculi illis proponebantur, inter quæ bona Senectus præcipue numerabatur, quæ quidem Abrahæ primum tanquam patri credentium diſtincte magis, quàm alijs omnibus promiſſa fuit [b]; ſed deinde cæteris etiam Sanctis Patribus conceſſa eſt, quorum aliquot nomina licèt non ſingulorum omnium, qui ea potiti ſunt, cum id neceſſe non eſſet, memorantur.

In nouo autem teſtamento poſtquam lux vera effulſit, & cęleſtis ianua fidelibus fuit patefacta; cum hodie fidelib. Chriſtianis viuere Chriſtus ſit, & mori lucrum; & beati dicantur, qui in Domino moriuntur; hiſque alia quodammodo vitæ Euangelicæ ratio expreſſius ſit propoſita; alia expectatio eos maneat, alia vota, aliæ ſolicitudines; aliæ voluptates ab ijs propinquius exoptentur; ideo bonæ Senectutis nomen nullo fe-

re lo-

a Epiſt. 129. ad Dardan. S. Chryſ. ho. 23. in S. Ioannẽ: S. Aug. li. 19. cõtra Fauſt. ca. vlt.

b Gen. 15 & 25.

re loco, in lege noua pronunciari solet: extat tamen Senectutis fructus, & maturæ illius ætatis messis, quod nos Bonum Senectutis dicimus, frequenter ibidem repetitus, & celebratus; quippe qui totus in Dei timore, integritate, ac prudentia consistit; vnde in cœlum aditus paratur, iuxta illud, *Quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui*.

Ex quibus concludimus, bonam Senectutem vtcumque antiquis temporibus accepta fuerit, hodie hoc aureo Christianæ legis sæculo, ad quod potissimum tractatio nostra pertinet, aliter considerandam esse; & Bonum Senectutis longe diuersum quid esse à bona Senectute, illudque votis omnibus appetendum, ac procurandum; hanc autem etsi non omnino despiciendam, non tamen magnifaciendam; nec Christianam Senectutem, seu euangelicam in eo præcellere, quòd bona sit; sed magis in hoc, quod Bono sit coniuncta, seu quod Bono fruatur; quandoquidem illius præstantia, & dignitas non à corporis incolumitate, aut opibus, aut externis alijs commodis pendet; sed ab interiore animi constantia, atque innocentia, quæ Deo nos gratos efficit, proficiscitur, quod nos proprie Bonũ Senectutis vocamus.

Et ideo vnde olim veteres multi bonam Senectutem efficiebant, quod longæua, quod abundans, quod tranquilla etiam in ipso exitu esset; constat ex sacro Euangelio nihil ferè cum Bono Senectutis habere commune; & propterea non

ret, non nego; nam duo millia nominum recitata, &c. Nunc autem et ætate quaßata, & longa desidia, quæ iuuenilem quoque animum dißoluit, eo perducta est, vt etiam si possit aliquid præstare, tamen promittere non possit.

Quibus quidem alia multa huius ætatis detrimenta adiungi possunt, aliàs à nobis relata; quibus multi carere, Senes vero laborare solent.

His vt respondeamus; illud à nobis, licet aliàs significatum, nunc repetendum est; Bonum Senectutis, de quo agimus, dupliciter in præsenti considerari.

Primum; quod Senectus superioribus alijs ætatibus comparata, longe paucioribus vitijs, ac inquinamentis attingi solet, quam superiores aliæ omnes ætates [a].

Secundum; quod pluribus ea subsidijs, ac virtutum fructibus affluit ad bona opera exercenda (paribus omnibus constitutis) quam reliquæ ætates præstare soleant; & hoc est, quod communi nomine Bonum Senectutis appellamus [b].

VNDE, non negamus, veteres auctores multos extitisse, qui cum de Republica, de Magistratibus, ac Ciuium muneribus scriberent, atque hominem considerarent, prout aptus est soboli procreandæ, ciuili societati, ac publicis, priuatisque negocijs gerendis, cum donec viridis est viribus, pluris quam in effœta iam ætate faciendum esse censuerunt [c].

Pariter quoque & medicos, qui hominem

quod

[a] *Sup. in 2. par. pag. 80.*

[b] *Sup. in 2. par. pag. 33. 73.*

[c] *Refert. Iauel. de long. & breuit. vit. c. 4.*

quod ad membra attinet, & naturales quasdam corporis facultates præcipuè spectarunt; atque in recto, & congruente humorum temperamento contemplando, morbisque depellendis versati sunt, idem ferè sensisse videmus; vt scilicet illam ætatem cęteris perfectiorem iudicauerint, qua homo viribus corporis maxime valeat, sanusque sit, & robustus ad ea munia, quæ illorum ars potissimum respicit, obeunda.

Quod quidem ab instituto nostro diuersum est, quo hominem ratione præditum (quæ pars est hominis potissima) atque ad æterna dona percipienda genitum intuemur; ad quorum cursum fęliciter ineundum, atque ad præmia immortalia obtinenda, Senilem ætatem reliquis longe aptiorem esse affirmamus.

Nam quod ad spiritualis salutis pericula, ac vitia declinanda pertinet, clarum esse censemus, superiores omnes ætates, & hanc ipsam, quæ media vocatur, maximis, grauissimisque perturbationibus, vt ait Cicero [a], vexari; ambitu, & honorum contentionibus exagitari, inuidia tabescere, nec à libidinis facibus esse immunem: tantumque abesse, ut tunc ratio sit perfecta, vt ea maxime ætate lumen illius turbidis moribus huc illuc iactetur.

[a] Cicer. in li. de cõsol. post. princip.

Contra vero, quemadmodum sol reliquarum stellarum dux est, & princeps, illasque moderatur, & illustrat; ita in Senectute ratio, represso cupiditatum ardore, reliquarum partiũ animæ obtinet Principatum, tuncque maxime appetitum

multum Christianis hominibus ista congruere, quos de Bono Senectutis magis, quàm de Bona Senectute solicitos esse decet. Et idcirco, ea pariter, quæ odiosam Senectutem olim reddere censebantur, ita vt quod Cato refert, Seonus Ethna grauius sustinere dicerent; aut quod olim ipse asserebat, in summa inopia senectutem leuem esse non posse; ne sapienti quidem; manifestum est hodie Christianis hominibus nullum negocium exhibere, qui commoda omnia huius sęculi pro nihilo habentes, vt Christũ lucrifaciant, nihili fere æstimant quo mortis genere, quo loco, aut tempore, aut status sui conditione hinc exeant, dummodo in Dei gratia dies suos claudant, memores dictum illis à Domino suo fuisse: *Posuit vos, vt eatis, & fructum afferatis;* & ideo quicumque vitæ cursus sibi rite fuerit delatus, adeo prompte, ac auide ab ijs suscipitur; vt per arma iustitiæ, vt ait Apostolus, à dextris, & à sinistris, per infamiam, & bonam famam, per ignobilitatem, & gloriam, in ieiunijs, vigilijs, laboribus, & tribulationibus incedentes, tunc maxime exultent, cum se Domino suo seruire agnoscunt: Quod quidem tot Apostolorum, & martyrum exempla testantur; qui flagellá, tormenta, ignes, & gladios ad manifestandam magis Dei gloriam in ipso etiam senectutis flore sitienter expetere soliti fuerunt, nedũ vt longæuam hic vitam producere in magno pretio habuerint.

Vnde constat eam quæ Bona dicitur Senectus

ctus; cum varijs eripi possit insidijs, à seruis Dei nõ vltra quam oportet æstimandam: At verò in Bono Senectutis, quo inuiti spoliari nequeunt, & quod ad æterna bona nos perducit assiduo insistendum, atque in eo fouendo omni constantia, atque alacritate perseuerandum.

TERTIA DECLARATIO

Senilem ætatem media præferendam.

SED ne obiectio illa, in ipso statim limine mentem aliquorum offendat, quæ ætatem nõ Senilem, sed constantem, quæ media appellatur, optimam habendam esse ait; quoniam tunc homo integras vires animi, & corporis habeat, totaque membrorum structura sit firma, & ex omni parte perfecta, vigeatque intelligentia, ac mentis robore, quod etiam à philosophis indicatũ est [a]. Contra verò Senectus, multa secum incommoda afferat, tum corporis, tum animi, prout de sei ipso Seneca testatur dicens [b]: *Cum multa iam mihi ex me desideranda Senectus fecerit, oculorũ aciẽ retuderit, aurium sensum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit: inter ea, quæ retuli, memoria est; res omnibus partibus animi maxime delicata, & fragilis, in quam primum Senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, vt non tantum ad vsum sufficeret, sed in miraculum vsque procederet.*

[a] *Arist. li. 7. Polit. & Rhet. lib. 2. c. 14.*

[b] *Senec. lib. 1. controuers.*

ret, non nego; nam duo millia nominum recitata, &c. Nunc autem et ætate quaſſata, & longa deſidia, quæ iuuenilem quoque animum diſſoluit, eo perducta eſt, vt etiam ſi poſſit aliquid præſtare, tamen promittere non poſſit.

Quibus quidem alia multa huius ætatis detrimenta adiungi poſſunt, aliàs à nobis relata; quibus multi carere, Senes vero laborare ſolent.

HIS vt reſpondeamus; illud à nobis, licet aliàs ſignificatum, nunc repetendum eſt; Bonum Senectutis, de quo agimus, dupliciter in præſenti conſiderari.

Primum; quod Senectus ſuperioribus alijs ætatibus comparata, longe paucioribus vitijs, ac inquinamentis attingi ſolet, quam ſuperiores aliæ omnes ætates [a].

[a] *Sup. in 2. par. pag. 80.*

Secundum; quod pluribus ea ſubſidijs, ac virtutum fructibus affluit ad bona opera exercenda (paribus omnibus conſtitutis) quam reliquæ ætates præſtare ſoleant; & hoc eſt, quod communi nomine Bonum Senectutis appellamus [b].

[b] *Sup. in 1. par. pag. 33. & 73.*

VNDE, non negamus, veteres auctores multos extitiſſe, qui cum de Republica, de Magiſtratibus, ac Ciuium muneribus ſcriberent, atque hominem conſiderarent, prout aptus eſt ſoboli procreandæ, ciuili ſocietati, ac publicis, priuatiſque negocijs gerendis, eum donec validis eſt viribus, pluris quam in effœta iam ætate faciendum eſſe cenſuerunt [c].

[c] *Refert. Iuuel. de long. & breuit. vit. c. 4.*

Pariter quoque, & medicos, qui hominem, quod

quod ad membra attinet, & naturales quasdam corporis facultates præcipuè spectarunt; atque in recto, & congruente humorum temperamento contemplando, morbisque depellendis versati sunt, idem ferè sensisse videmus; vt scilicet illam ætatem cęteris perfectiorem iudicauerint, qua homo viribus corporis maxime valeat, sanúsque sit, & robustus ad ea munia, quæ illorum ars potissimum respicit, obeunda.

Quod quidem ab instituto nostro diuersum est, quo hominem ratione præditum (quæ pars est hominis potissima) atque ad æterna dona percipienda genitum intuemur; ad quorum cursum fęliciter incundum, atque ad præmia immortalia obtinenda, Senilem ætatem reliquis longe aptiorem esse affirmamus.

Nam quod ad spiritualis salutis periçula, ac vitia declinanda pertinet, clarum esse censemus, superiores omnes ætates, & hanc ipsam, quæ media vocatur, maximis, grauissimisque perturbationibus, vt ait Cicero [a], vexari; ambitu, & honorum contentionibus exagitari, inuidia tabescere, nec à libidinis facibus esse immunem: tantumque abesse, ut tunc ratio sit perfecta, vt ea maxime ætate lumen illius turbidis moribus huc illuc iactetur.

[a] *Cicer. in li. de cõ sol. post. princip.*

Contra vero, quemadmodum sol reliquarum stellarum dux est, & princeps, illasque moderatur, & illustrat; ita in Senectute ratio, repressio cupiditatum ardore, reliquarum partiũ animæ obtinet Principatum, tuncque maxime apperitum

temperat, ac continet in officio.

Hincque inferimus, quod ad virtutum præsidia spectat, non esse tribuendam Senectuti absolutam quandam perfectionem, sed cum alijs ætatibus collatam, longo illis interuallo præstare; nam tametsi media ætas in memoria, intelligentia, apprehendendi vi, atque acrimonia quadam, aliquando Senectutem superare videtur, quod & interdum adolescentia facit; tamen omnibus simul ijs præsidijs, quæ Senectuti, & alijs prosunt ætatibus, inter se collatis; facile liquere potest, omnes ætates sine vlla dubitatione Senectuti concedere: quod maxime ex illis quinque articulis deprehendi potest, supra [a] à nobis firmatis, & ex alijs Senij fructibus paulo post recensendis, qui cæteris ætatibus non æque conueniunt, apertius colligetur.

[a] In 2. par. pag. 81. & seqq.

Adolescentia & media ætas cum Senectute non conferenda.

QVOD si quis replicaret; in adolescentia etiam, & media ætate moderationem aliquando fulgere, tuncque etiam præstantiorem videri, quàm in Senectute; propterea qd. modestia in Senectute non valde commendanda, se in iuuentute potius sit admiranda. Nam sicuti in medijs procellis, & fluctibus maris enitet gubernatoris industria, si nauem seruet, & in por-

portũ dirigat: vtiq; aurũ verũ in fornace magis probatur, ac ab adulterino dignoscitur: Sic præstantior apparet virtus iuuenis, & viri, quàm senis; si perturbationes, quibus ea ætas cumulata est, moderetur, ac vincat. *Qui enim non est tentatus* (ait scriptura [a]) *quid scit?* Et infra: *Qui non est expertus, pauca recognoscit.* [a] Eccl. 34.

RESPONDETVR, Theologorum esse communem sententiam, rationem virtutis magis consistere in bono, quàm in difficili [b]: Hinc que aiunt, si quis ex habitu operetur cum delectatione, & promptitudine, & facilitate; hunc vtique si preclaram rem aggreditur, & absoluit, maiori dignum esse laude, quàm eum, qui plus temporis, ac laboris, ob imbecillitatem in eadẽ re impẽdit; rerum siquidem præstantia ex operis ipsius magnitudine, & ex propria quadam illius vi, non ex alijs rebus extrinsecus adsumptis, regulariter consideratur [c]: Sic in Senectute, quamuis minora, quàm in iuuentute videantur se offerre impedimenta, eo quod matura ætas reluctantes sensus magna ex parte iam compressit: attamen quoniam opera illa, quæ rationi magis sunt consentanea, solet Senectus frequentius, & congruentius exequi, idcirco in Bono iuuentutem antecedit. Nam quamuis etiam alij ante aduentum Senectutis multa viderint, audierint, legerint, ac consuetudine ipsa perspexerint; certum est tamen nõ ita plene hęc ab eis cognita, & probata fuisse, sicuti in Senectute illis postea accidit.

[b] S. Th. 1. par. q. 95. art. 4. & 2. 2. q. 27. ar. 8. ad 3 Medin. in p. 2. q. 47. art. 4.

[c] S. Th. 2. 2. q. 122. art. 12. & q. 136. ar. 1.

QVARTA DECLARATIO.

Languorem & infirmitates ad virtutem sæpe conferre.

RVRSVS, si quis alia ratione contenderet, non tantum mediam ætatē, sed etiam iuuentutem Senectuti facile præstare, nō quia istę ætates prudentia, experientia, atque rationis lumine Senio naturaliter non concedant, sed quia cum Bonum Senectutis præcipuè ex vsu rationis exurgere affirmauerimus; & ratio quo maiorem acuminis vim, & industriæ exercendæ cāpum habet, eo magis efflorescat, ac virtutum segetem pariat vberiorem: Propterea dicat aliquis, Statum: Senectutis non ita ad varia officiorum munia obeunda aptum esse, sicuti superiores sunt ætates; quandoquidem Senex annis iam confectus, domi frequenter deliteſcit, ac in cubiculo, & lecto ab aliorum commercio, publicaque multitudine seiunctus, vitam ferè inertem, atque otiosam traducit, procul à negocijs, à tumultibus, ac ciuium dissidijs, atque alijs humanæ vitæ procellis, sibi ferè vni quod supereſt modicum temporis viuens.

Contra vero, tum adoleſcentes, tum viri, dūmodo spiritu aliquo vigeant, raro quieſcere deprehenduntur; sed modo vastissima maris spacia transmittunt, modo alpes transcendunt, re-

motis-

notissimas modo penetrant prouincias, nullum vel in bello periculum, vel in pace laborem pro publica salute, atque ciuium incolumitate recusant.

Quod vitæ genus tanquam Christianæ disciplinæ congruentis censeri solet, quæ seruos Dei per uexationes, angustias, pericula, calamitates, afflictiones, atque aduersos rerum turbines, tanquam media, & instrumenta ad summum bonum adipiscendum, fortiter incedere monet; exemplo Apostolorum, ac sanctorum martyrum, qui labores, certamina, atque aduersitates lætissimo corde exceperunt, ac magnum se in ijs lucrum fecisse, ipsa etiam sanguinis effusione testati sunt.

Ad hæc, vt apte respondeamus, illud primum præfari oportet, in diiudicandis humanæ vitæ incommodis, calamitatibus, atque afflictionibus, duas quodammodo extremas opiniones reperiri.

Altera est eorum, qui difficultates, & angustias plus æquo fastidientes, & laborum impatientes, cum vident tribulationes publice, seu priuatim immitti, anxie conqueruntur, aduersa omnia accusant, & infirmitates, damna, atque erumnas omnes grauiter abhorrent; secum tacitè ingemiscentes, clementissimum Deum non hęc ab humani generis imbecillitate abstuliisse.

Verum præter multa sacrarum literarum testimonia, quæ docent, optimum esse his tentationibus exerceri, atque per multas tribulationes

oportere nos ingredi in regnum Dei; non videt isti, si saluti humanæ conduxisset, hæc omnia damna, infirmitates, vexationes, mœrores, ac in graueſcentis etiam ætatis iniurias absolute è medio tolli, atque ab homine auferri, facile id fuisset Redemptori nostro per meritum illius passionis, ac Baptismi sacramentum præstare; cuius tamen contrarium factum fuisse sacri Doctores declarant, magno humanæ naturæ beneficio, cui fomes, ac concupiscentia relicta fuit ad agonem, vt ait Sanctus Augustinus [a]; & vt ex infirmitate, & corporis imbecillitate, frequēs nobis occasio ad virtutem excolendam se offerret.

[a] Li. 2. de peccat. remiss. ca. 4 et in Concil. Trid. sess. 5. cā. 5 & seq.

ALTERA illorum est opinio, qui quo frequentius homines morbis, penuria, calamitatibusque obsidentur, & cumulantur, eo præclarius cum ijs agi putant, neque vident, quod si hominum fragilitati hoc satius esset, non vtique sancta Mater Ecclesia tot preces; & missarum sacrificia pro tribulatis, pro infirmis, pro afflictis, & captiuis, pro bello vexatis, pro mœrentibus, & desolatis instituisset, ad communes, priuataſque clades auertendas; pro quibus & orationes, diuina officia, eleemosinas, peregrinationes, aliaque suffragia in mores induxit.

Quapropter, cum hæ omnes ærumnæ, & miseriæ olim nobis in pœnam præuaricationis nostræ constitutæ, & in exercitationem, ac satisfactionem culpæ fuerint conuersæ; docemur de ijs circumspectè, & moderate admodum senti-

re:

re: cum Deus omnipotens, vt scribit Sanctus Gregorius, non pascatur hominum cruciatibus; sed sicut medicus pharmacum ægroto amarum præbet, non quia amaritudine illa delectetur; sed quoniam per eam videt, ægroto sanitatem tutius restituendam: Sic Deus nobis consulens, vult omnia ab eo collata, à nobis ad maiorem diuinæ suæ legis obseruationem, proindeque ad certiorem salutis nostræ prouentum, adhiberi.

Aduersa Humanæ vitæ nec bona nec mala: sed ex fine iudicanda.

ITAQVE, quæ aduersa, & tristia vulgo censentur, veluti est infirmitas, egestas, carorũ amissio, exilium, aliaque huiusmodi, lex Christiana nec bona, nec mala proprie esset censet, sed media potius, & adiaphora iudicat, hoc est quæ interdum vtilia, interdum noxia saluti nostræ euadant, habita ratione non ad opus ipsum absolute (vt aiunt) & secundum se, sed ad causam, ac finem propter quem hæc ab homine suscepta fuerunt. Vnde celebre illud Sancti Cypriani dictum *Martyrium non pœna facit, sed causa.*

Quare, vt ad id quod superius obijciebatur respondeamus; cum iam probatum fuerit, Senectutem naturaliter, ac vi propria alijs ætatibus excellere, cum in ea ratio, consilium, & experientia dominetur; addiderimus etiam, huiusmodi

modi Senectutem aliquando cum viribus corporis, quatenus illa fert ætas, coniunctam esse; aliquando etiam membrorum vsu tantum, sed non mentis integritate destitui, quo tempore magna etiam potest emolumenta afferre.

Idcirco, cum de Senectute loquimur, eique plurimum deferimus, de ea sentimus, quæ vsum rationis, consilium, ac auctoritatem; quo plenius potest, quocunque modo ad Dei gloriam, aliorumque vtilitatem exercet; atque inertiam, & otium odit, sed semper aliquid dignum animo versat, & molitur: cum sciamus etiam iacentes in lecto agere multa posse, quæ licet in exteriorem non transeant materiam; quia tamen manent in ipso agente, vt velle, intelligere, & sentire, perfectiones sunt ipsius agentis [a]: & si ex charitate procedant, atque in cœlestia tendant, plurimum apud Deum valent, & promerentur [b]. Imo quo Senex se ætate prouectiorem agnoscit, percipitque in se vnum cæterorum oculos acrius intendi, ac præclariora virtutis exempla à se, quàm à cæteris expectari, eo maiores sibi stimulos adhibitos esse intelligere debet, ad omnia quæ muneris sui sunt, non vulgariter, sed præ cæteris sapienter obeunda: memor quod olim Eleazarus vnus de primoribus scribarum, ætate venerandus, cui cum leges violare, & vitam tueri suaderetur; ille ætatis, ac Senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem cogitans, maluit se supplicio subijcere dicens [c]: *Ætatis nostræ dignum non est fingere*,

[a] Arist. 9 Metap. c. 7. & S. Th. 1. 2. q. 2. ar. 2. ad 3.

[b] Tho. 1. 2. q. 3. ar. 2. ad 3. et q. 21. art. 5. & q. 74. ar. 8.

[c] Lib. Machabeor. 2. c. 6.

re, cum vita breuiter excessurus, nihil indignum hac Senectute debeam committere; ostendens scilicet ex pratijs morib. Senectutem tanquam Sacerdotium inquinari, vnde vniuerso populo exemplum indecorum relinquatur.

Quod igitur dicebatur aliarum ætatum actiones multo plures, & digniores censeri posse, nos omitentes eas ob minorem rerum vsum, multis erratis sæpe non carere; respondemus non absimile id videri, quod Cato maior dicebat, absurdum esse, si quis nautas, & remiges eo quod illi malos scandant, alij per foros cursitent, alij sentinas exhauriant, gubernatori natis velit antepohere, quod clauum tenens sedeat in puppi quietus, nec faciat ea quæ iuuenes, cum tamen multo maiora, & meliora faciat; non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum, vt ille inquit, res magnæ geruntur, sed consilio, & auctoritate, & sententia.

QVINTA DECLARATIO.

De Senibus qui corpore possunt laborare: & de ijs qui a languore impediuntur.

QVID ergo, dicat aliquis; nõne Senes, quo magis laborant, quo plus operantur, & frequentius se varijs negocijs exercent,

co

eo maiori in pretio, & existimatione sunt habendi.

Respondemus, hoc nos nec omnino affirmare, nec prorsus negare, cum ex corporis constitutione, anteactæ vitæ consuetudine, regionis varietate, alijsque pluribus circunstantijs multa ex medicorum disciplina diligenter sint obseruanda. Non enim sicuti creditores solent à debitoribus, eorum nomina vsque ad quadrantem exigere; sic à senili ætate quicquid illius vires præstare possunt, vsque ad summum est reposcẽdum; cum fragilis hæc corporis materia, qua humana natura circumuenta est, remissionem aliquam, non solum in rebus ipsi naturæ necessarijs requirat; sed etiam a laboribus cessationem, ac laxamentum omnino expostulet, vt eo longior, & salubrior vitæ cursus protrahi possit. Quod eo magis in senili ætate affirmandum est, ad quam instaurandam, & muniendam auxilia multa, & oblectamenta etiam opportune sunt indulgenda: Nam vt aiunt sapientes, genus est quoddam ocij opportune suscepti, quod laude sua non caret; quo scilicet virtus non euanescit, sed recreatur: ideoque strenuis etiam viris interdum est appetendum, vt tempestiua laboris intermissione ad laborandum surgant vegetiores [a].

[a] Valer. max. li. 8. c. 8.

HINCQVE non defuerunt nostro etiam tẽpore viri clarissimi, & eruditissimi [b], nobisque non solum episcopali munere, sed etiam gradu Cardinalitio coniuncti, qui de recreanda Senectute ex Christiana disciplina varia subsidia, præ-

[b] Illustriss. Aug. Valer. Card. Veronen.

præclarasque admodum ad id exercitationes protulerunt; vt ſicuti in magna multorum conuiuarum menſa ſolent diuerſa ciborum genera, ac multiplices epulæ apponi, vt omnium guſtui plenius ſatisfiat; imo agreſtiores quædam, ac rudiores dapes ſæpe inferuntur, quę auidius, ac ſuauius appeti à nonnullis ſolent: Ita in Senectute honeſta, curatum ab his fuit, ne varia deſint oblectamenta, è quibus quiſque ea, quæ ſuis ſtudijs, moribus, at diſciplinis ſunt conſentanea, ſeligere poſſit.

Quod quidem mirum videri non debet, homines ſcilicet cum eadem inter ſe ſpecie conueniant, non æque tamen eiſdem rebus aut delectari, aut triſtari, prout cætera animantia, quæ ſúnt vnius ſpeciei. Nam cum delectationes hominum non à ſola naturali inclinatione proueniãt, quæ eſt determinata ad vnum; ſed partim è temperamento, partim ab aſſuetudine, & à moribus ipſis, qui pro libera arbitrij facultate multis modis variantur, prout motus in appetitu animali conſequitur apprehenſionem boni naturalis præſentis per ſenſum[a]; ideo multiplex hæc delectationis varietas inter homines reperitur. Imo videmus eundem hominem modo aliquam rem appetere, modo eandem auerſari, prout hoc, vel illo tempore eam ſibi magis, minúue congruam eſſe ducit; ſicuti in ægrotis cernere eſt, qui cibum, & vinum abhorrent, quo in conualescentes maxime recreantur.

[a] S. Th. 1. 2. qu. 11. ar. 1. ad 3 & q. 31. ar. 1. & q. 35. art. 1.

QVARE vt ad rem noſtrã reuertamur; quo

plura

plura nobis ad Senectutem subleuandam subsidia ab eximia auctoris huius eruditissimi prudentia prodita fuerunt, eo maiores illi gratias habendas esse agnoscimus; cum hæc, quæ recreationes, & laxamenta videntur, ad maiorem proficiant operandi vim: nam, vt ait Philosophus[a], *delectatio, & quies, non propter se quæritur in humana vita, sed propter operationem*. Vnde & Eutrapelia a Theologis quoque fuit probata[b]. Et de se ipso S. Nazianzenus testatur his verbis[c]: *Locus porro, in quo spatiabar, maris ripa erat: soleo enim ferè huiusmodi oblectamentis labores dissoluere, ac relaxare; quandoquidem, nec perpetuam contentionem neruus ferre potest, sed relaxare quandoque arcus cornua oportet; si quidem rursus intendendus sit, ac non sagittario inutilis tum futurus, cum eo vtendum erit.*

a *Arist. 10. Ethic. c. 6.*
b *S. Th. 2. 2. q. 168. art. 2.*
c *In orat. 28. in Maximum.*

Nunc igitur, vt id quod in huius quintæ declarationis initio fuit propositum, absoluamus: cũ duplex in Senectute sanitas considerari possit, altera, quæ viribus corporis, & animi simul vigeat; altera, quæ ægro corpore, mente tantum ac cognitione valeat: dubitandum non videtur, si vnicuique optio detur, quam malint ex his Senectutem, ad potiendum Bono, de quo agimus, obtinere; eque omnes vtramque potius simul iũctam, quàm alteram tantum amplexuros esse.

Idcircoque laudatur non tantum a medicis, sed à Christianis alijs auctoribus; vt ingrauescente ætate cum robur corporis iam minui incipit, Senes quamuis ob declinãtes annos nequeãt pristi-

pristinas, atq; integras animi, & corporis vires recuperare; pro sua tamen prudentia, & medicorum consilio curare debere, vt saltem eam sanitatem, quæ senis sanitas ab ijs appellatur [a]; aut illam, quam Deus eis largiorem donare dignabitur, quoad eius fieri poterit, validiorem consequi studeant; vt ita donec vita eis superstes erit, & publice, & priuatim sint fructuosiores.

[a] Galen. de sanit. tuen. li. 6. c. 2.

ATTAMEN, quia vt superius diximus, nō potest in his perpetua regula constitui; recta ratio suadere videtur, vt hi qui Dei beneficio vtrāque sanitatem sunt adepti, simul intelligant, eo magis ad plures, & salubriores operationes, donec illis vires suppetunt obstrictos esse: eos vero qui imbecillitate virium in lecto detinentur, non ideo animo concidere debere, quasi minus, quam reliqui, apud DEum lucrari valeant. Verū si charitatem, patientiam, liberalitatem, spiritus que feruorem adhibeant, certam exultent fiducia, se certaminum suorum immortalia à Deo prēmia consecuturos.

SEXTA DECLARATIO.

An bonum cum malo aliquando coniungatur.

POSTREMO, si diceretur, non posse cū bono simul malum coniungi, & ideo si bono Senectus potiretur, nequaquam tam multa alia vi-

tristitia, acerba, & molestissima, quæ quotidie Senectutem comitari videmus, possent cum ea concurrere.

Respondetur, simile hoc videri, quod olim apud Gentiles tam anxie quæsitum fuit: Cur bonis mala acciderent; quod Cotta apud Ciceronẽ, magna vehemẽtia disseruit, hoc summopere admirãs [a]; *Cur duos Scipiones fortissimos, & optimos viros in Hispania Pœnus oppressit? Cur Maximus extulit filium Consularem? Cur Marcellum Annibal interemit? Cur Paulum Cannæ sustulerunt? Cur Pœnorum trudelitati Reguli corpus est præbitum? cur Africanum domestici parietes non texerunt?* & alia, quę apud eum est legere, subdentem: *Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male euenerit; nec minus si commemorem, quibus improbis optime.*

[a] Cic. de Natu. Deor. li. 3.

Qua de causa, cum varie præsertim apud eruditos ista iactarentur, scripsit Seneca librum De Prouidentia, siue, Quare bonis viris mala accidant, cum sit prouidentia. Quo loco cum præclara multa, & ad religionis nostræ sensum proximè accedentia retulisset, ostendens viris bonis omnia in bonum verti; finem tamen illius disputationis absurda admodum, atque impia (nõ enim hoc prætermittere possumus) concluſit sẽtentia, dicens licere vnicuique, cum [redacted] ferendis impar est, se ipsum eo dolore soluere. *Si pugnare*, inquit, *non vultis, licet fugere; nihil est facilius, quam mori, & naturæ renunciare; quicunque locus morti pernius est.*

VE-

VERVM hæc dicta impia ab vno illo errore profluexerunt, quod ignoratum ab eis fuit, quid verè bonum, aut malum dicendum esset, quod nos supra tractauimus. Nam Christiani cum non ad præsentem, sed ad futuram vitam se natos esse sciant (quoniam, vt ait Apostolus: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*) consilia sua omnia ad æterna præmia dirigunt; atque hunc vitę cursum: tanquam breuem peregrinationem metiuntur, per quem ad cœlestem patriam, in Dei obedientia manentes, sint peruenturi, & ideo bona ea tantum vocauerunt, quę Deo accepta sint futura, & cursum in cœlum possint adiuuare. Mala vero, quæ probitati repugnant, atque à felicitate auertunt; ad huncq; vnicum scopum omnia sua perpetuo deflectunt. Hincque cum sciant Deum nunquam auctorem esse talium malorum; sed quicquid ille homines in hoc sæculo quamuis durum, atque aduersum pati vult; ab eius clementissima manu in eos ad animæ vtilitatem, spiritus excitationé, carnis humiliationem, atque ad Deum conuersionem deriuari; idcirco minime illis prosternuntur, sed potius ad ea ex tribulationibus emolumenta colligenda se conuertunt, quæ copiosè à sacris Doct. recensentur[a].

Nos igitur eodem sensu, quo sancti Patres, Bonum accipientes; nempe illud quod ratione, consilio, probitate, & moderatione constat, illud met iure, ac merito Senili ætati deferendum censemus

[a] S. Chrysost ho. 5. ad pop. Antioch. S. Nazian orat. de amore pauper. S. Aug. li. 1. de Ciu. Dei. c. 8. & 9. Et ad Victor. de afflict. piorũ Epist. 122 Magister. sent. lib. 4. dist. 15.

ſuimus; eo quod inter alios humanæ vitæ gradus, hæc annorum maturitas iſtud ſibi peculiare vindicat decus, & dignitatem, prout ex ſequentibus etiam clarius poterit liquere.

Ad Bonum Senectutis naturalem ætatem non ſufficere, ſed alia requiri.

HIs ita explicitis, quæ Senectutis bonum ſatis manifeſtè concludũt, nollemus quẽ quam fortè exiſtimare hoc ipſum Senectutis bonum tanquam ſupernum rorem ſponte in canitiem defluere, quaſi naturale quoddam hoc donum ſit, quod ipſa ſecum Senectus affert, ita vt non alia egeat induſtria, non executione, aut ſolicitudine; ſed potius hoc Senectuti omni ſit commune, & tanquam priuilegium extremæ huius ætatis hominibus, veluti emeritis militibus, ſine exceptione debeatur.

Propterea cũ ſecus id ſe habeat, & ad fruendum Senectutis bono, non ſatis ſit ad maturam ætatem vtcumque peruenisſe; ſed exemplo agri, cuius licet ferax ſolum exiſtat, neceſſe ſit tamen ad fructus edendos excoli; molliri, ſubigi, et ſparſo ſemine ad meſſem reddendam quodammodo excitari: Sic ad Bonum hoc aſſequendum, non ſatis eſt ingraueſcentes ætate canos aduentaſſe, & ad Senij maturitatem validis ingenij viribus, & quandoque etiam corporis peruenisſe; niſi præterea contendat Senex hoc ipſum veluti na-

ri naturale bonũ, quod ei longęua ætas ac consilij maturitas defert, plurima exercitatione, ac vigilantia perfectius reddere.

Hoc igitur quibus medijs, ac rationibus obtinere valeamus, vt tandem hoc Senectutis bono, cum illius tempus aduenerit, potiamur; exponendum nobis nunc supereſt, ſine quo aliàs inanis ferè, & inutilis hic labor noſter redderetur. Ideo ſicuti ad montium verticem contendentibus, vnde cœli ſalubritas, loci amœnitas, fructuumque vbertas prouenit, certæ ſolent eſſe, ac diſpoſitæ ſemitæ, quibus eo perueniatur: Sic ad cõſcendẽdũ Senectutis apicem, ac adipiſcendum illius bonum, certi ſunt gradus conſtituti, per quos mature eſt incedendum, vt vberes, multipliceſque fructus inde ſuo tempore colligantur.

Obſeruatio trium temporum ad Senectutis bonum obtinendum.

CVM igitur aliàs Senectutem ad arboris exemplum effinxerimus; quæ altis radicibus innixa, excelſum emittit truncum, vnde ingentes expanduntur rami, ex quibus fęcundi, ac ſuauiſſimi fructus demum percipiuntur; nunc pariter eadem inſiſtentes ſimilitudine, dicimus, quemadmodum in arboribus, vt fructus ex ijs vberiores percipiantur, triplicis præſertim temporis ſtatum obſeruari: cum teneræ adhuc ſunt:

cum adultæ fructus edunt: & cum ad maturitatem eos perducunt: sic cum Bonum Senectutis sit tanquam partus quidam siue fructus, qui ex Senij maturitate colligitur; tria pariter tempora, vt hac ætatis perfectione perfruamur, vigilanter admodum esse custodienda.

Nam quod ad arbores petinet, quas frugiferas euadere cupimus, notum est vnde exordiendum.

Primo; vt radices illarum initio perfossa circum humo, opportune irrigentur, fimoque ac pingui alimento roborentur.

Secundo; erumpentibus baccis, seu acerbioribus adhuc fructibus, ea omnia arceri solent, quæ maturitatem eorundem quoquomodo possent impedire; ita vt non solum ab immodica ventorum vi, à tempestatibus, à feriisque custodiantur; sed etiam vt densa frondium opacitas, quæ solis radijs obsisteret, resecetur, & cætera, quæ fructuum pulchritudinem, suauitatem, atque vbertatem lædere possunt, auertantur.

Tertio; maturis fructibus, illud curari consueuit, ne frustra decidant, nec temere disijcian tur, ne in prauos vsus absumantur, ne inutiliter marcescant; sed in quàm maximas fieri potest vtilitates, & commoda mortalium conuertantur.

Similiter quoque, vt Senectus fęcunda fructibus cumuletur, atque hoc humanæ ætatis bonum longe, lateque diffundatur, tria figillatim erunt deinceps examinanda.

Primum

Primum ab adoleſcentia inchoandum, cum multum referat, vt Cato etiam dicebat, florentis illius ætatis fundamentis Senectutem fuiſſe conſtitutam.

Deinde; ad conſtantis ætatis tempus progrediendum, quod, ſi vti oportet, & qua decet diligentia fuerit excultum; dubium non eſt, quin aduenienti Senectuti robur, ac præſidium ſit allaturum.

Poſtremo; cum ad Senectutis limina fuerit peruentum, eo acriore opus erit vigilantia, ad multa elaboranda, alia præcauenda, alia amplectenda, alia declinanda, alia conſilijs, actionibus, exemploque vitæ perficienda, vt talem omnino ſe præbeat Senex, qualem eum eſſe decet, qui breui, & expedito itinere ad cęleſtem patriam contendit.

De adoleſcentia inſtituenda.

MODO igitur, à minore ætate, ſiue adoleſcentia exordientes; dupliciter admonemur, debere hominem ab hoc initio vitæ ſuæ curſum, vt decet, inſtituere, vt illius extremum, quod eſt Senectus, ſalutari fine abſoluat. Nam ſiue Senium conſideremus, tanquam grauiſſimum humanæ vitę negocium: quo cætera omnia terminantur, & quod extremam veluti manum præteritis omnibus actionibus imponit; ſiue etiam Senium metiamur, tanquam aduentã-

tem peregrinationis noſtræ metam, ad quam cæteræ ætates tum naturæ lege, tum communi quodam omnium voto referuntur; dubium non eſt, bene ab ętatis primodijs inchoandum, vt fęliciter finis peragatur. Nam, vt S. Cypr. inquit[a]: *Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit: ſic in Senectute honorem legitimum aſſequi non poterit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicuius exercitatione non laborauit*; indigne enim tranſacta adoleſcentia, odioſam efficit Senectutem; & honeſte acta ſuperior ætas fructus capit auctoritatis.

[a] S. Cypr. lib. de 12. abuſ. c. 3.

Quapropter, quocunque modo Senectutem, de qua ſupra, ſumamus; certum eſt, ſicuti ad procreandos filios, oportet, vt antea concipiantur; niſi enim bene concepti fuerint, fit partus abortiuus: Sic ad bona opera ſuo tempore edenda, neceſſaria eſt præparatio, quæ quanto accuratior fuerit, & longius, & diutius repetita, eo maiorem fructum affert. Nam vt cauſæ non ſolent effectus ſuos niſi in materia bene diſpoſita producere[b]; ſic Senectutem vt expectatos fructus pariat, debent multa præcedere, quibus hominis vita rebus veluti neceſſarijs ſit inſtructa.

[b] S. Th. 1. 2. q. 112. ar. 2. & 3

ITAQVE quemadmodum illi, qui olim ex ludis Olympicis victoriam quærebant, multo ante in paleſtra ijs exercitationibus operam dabant, quas ad victoriam conſequendam vtiles eſſe arbitrabantur; eodem modo in hac re non ludrica, qualis illa erat, ſed magni ponderis, & momen-

momenti, à qua animæ salus pendet; consentaneum erit; homines iam ab adolescentia ita se exercere, vt bonum Senectutis deinceps consequi possint. Vt enim ij, qui torrentem, aut fossam saltu transcendere conantur; aliquantisper retrocedentes, alacrius se impellunt, facileque in aliam transiliunt ripam: eodem modo homines scientes sibi à Senectute ad cęlum proxime transeundum esse; oportet longo interiecto spatio, nimirum iam inde ab adolescentia, ætatis cursum ita instituere, vt ad Bonũ Senectutis deinceps peruenire valeant.

Et quemadmodum plantæ non statim ad iustam magnitudinem perueniunt, sed prius altas agunt radices; quibus innixæ eam proceritatẽ, quam illis natura concessit, paulatim consequuntur; eodem modo Senectus nunquam, aut raro ad hunc bonitatis statum, de quo in hac disputatione loquimur, accedit; nisi eiusdem boni fundamenta iecerit in iuuentute, & sequentibus vitæ spatijs; vt illis innixa, ad eum contendat dignitatis gradum, qui illi ex præscripto rationis debetur.

Quod cum præter cæteros vir eruditissimus, idemque nobis olim beneuolentia coniunctus, in præclaris commentarijs suis scriptum reliquerit, noluimus eius verba hoc loco prætermittere. Inquit enim [a] *Nunquam Senex iustitiæ laudem retineret, nisi in iuuentute, in virtutis, & honestatis gloria viguisset; omnia siquidem in extrema ætate, siue bona, siue mala ad summum perueniũt;*

[a] *Osorius to. 3. Cõmen. in parab. Salo. cap. 16.*

ita vt mali perditissimi in extrema Senecta fiant; boni, tunc summam virtutis, atque iustitiæ maturitatem assequantur.

HAEC autem omnia, cum satis per se nota esse videantur; quia tamen ad rem nostram valde pertinent, & plurimum refert, hæc in hominum mores induci; præsertim quia solet magna adolescentium pars vulgari quadam, ac inani se excusatione obtegere, cum dicat; nunc sum iuuenis, & per adolescentiæ cursum incedo; cũ Senium aduenerit, tunc Senectutis normam tenebo; & vitę licentiam relinquens; totum me virtutibus tradam. Cuius erroris non desunt illis veterum etiam aliquorum patrocinia dicentiũ[a]: *Detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non semper superet vera illa, & directa ratio; vincat aliquando cupiditas, voluptasque rationem.*

[a] *Cic. pro Cælio.*

Idcirco in eo potissimum elaborandum nobis est, vt praua hæc excusatio radicitus tollatur; ac plane omnibus patefiat, BONVM Senectutis à Bono aliarum ætatum, tanquam à priori radice, vt pluiimum pullulare.

Quod vt euidentius liqueat, varias rationes atque auctoritates mox subijciemus, ad magnã vtilitatem indicandam, quæ ex adolescentia bene instituta, in Senium prouenire solet; viciſſimque summum detrimentum, quod neglecta priore ætate, in reliquam vitam inuehi consueuit. Et demum, quæ fuerit sapientum omnium per vniuersa fere sæcula consentiens in hac re sententia.

Id

Ad Senectutis Bonum adoleſcentiæ diſciplinam valde conferre.

QVOD igitur ad primum attinet; veteres Iuriſconſultos reſpondiſſe ſcimus, teneram illam ætatem cum ſit informis, mollis, ac flexibilis, facile in quam velit homo partem, trahi poſſe, atque ad bonam vitæ rationem non magno cum labore perduci. Nam & Vlpianus Iuriſconſultus mancipia, quę rudia sũt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora eſſe tradidit[a]. Et Plutarchus ait: *Quemadmodum ſigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & doctrinæ in puerili anima inſculpuntur, quoniam nouella illa ætas ad fingẽdum facilis eſt; ipſorum animo, dum mollis adhuc eſt, diſciplinæ melius inſtillantur.*

[a] *l. præcipiunt. de ædilit. edict.*

Additque; nihil eſſe in rebus humanis, quod tanti æſtimandum ſit, quàm iuniorum diſciplinam: affirmans opes, copias genus, gloriam, honores, formam, ſanitatem, robur, & cętera, quę in bonis numerantur, nulla ratione eſſe cum liberorum educatione comparanda. Ideoque curandum maxime eſſe bono parenti, vt eius filij cum lacte nutricis virtutem ſugant, ac bonos mores ab incunabulis diſcant. Nam (vt ait ſanctus Auguſtinus[b]) *magis cogita quomodo nutrias eos, qui nati ſunt, quàm vt naſcantur; non enim felicitas eſt habere filios, ſed bonos habere.*

[b] *S. Aug. in Pſ. 127*

Quod & innuit Ecclesiasticus illis verbis: *Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo inuenies ea in Senectute?* Et sancti Patres leo Primus, & alij in Decreto Gratiani relati [a], simili clericorum exemplo, *eos demum Sacerdotes sacris administrationibus idoneos censuerũt, quorum ætas omnis à puerilibus exordijs vsque ad perfectiores annos per disciplinæ Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, & vnicuique testimonium prior vita præberet.*

a Leo Primus Ep. 85. etc. miramur. 61. dist.

Hinc sanctus Basilius [b] dictum illud Biantis Philosophi commendat, qui eunti filio ad Aegiptios, & percunctanti, quid ei maxime gratum foret: *Viaticum* (inquit) *Senectutis possidendo*; appellans videlicet virtutem, viaticum. Et sanctus Ambrosius Valentianũ Imperatorem summopere commendat, quod maxima fuit illius vitæ emendatio, in omni lubrico adolescentię tẽpore [c]. Et ex Gentilibus Plato pariter scripsit [d]: *In vnaquaque re maximum quid esse principium, præsertim iuueni, & tenero cuique*; exemplo agricolarum, *quos primum teneras plantas curare decet.* Et Aristoteles [e] ait: *Non parum refert, quemadmodum ab adolescentia consuescat aliquis; sed quam plurimum, imo totum in eo consistit.* Vnde Propheta ait [f]: *Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Et Salomon [g]: *Qui docet filium suũ, laudabitur in illo, & in obitu suo non est contristatus; relinquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.*

b S. Basil. in li. de li. Gentil.

c S. Amb. in obit. Valẽtin.

d Plato li 2. de Repub.

e Arist. 2. Ethic. c. 1.

f Thrẽ. 3.

g Eccl. 30.

Pra-

Prauos adoleſcentiæ mores Senectuti plurimum obeſſe.

CONTRA vero; quamplurima mala licet agnoſcere, ex inculta iuuentute deriuãtia: cum enim adoleſcentia quodam naturæ impulſu in voluptates, & delitias ſit propenſa niſi ſeueriore fræno comprimatur, non ſolum in morbos incidit, qui poſtea Senectuti maximas afferunt moleſtias; ſed alia etiam vitia ventris, alia libidinis, alia crapulæ, & ebrietatis adiungit, vt vix poſtea Senectus dignitaté tueri poſſit. Imo quod miſerabile eſt, ipſa Senectus incontinentis, & turpiter actæ adoleſcentiæ pœnas luit. Nã vt Cato dicebat [a]: *Defectio virium ſenilium ſæpius efficitur vitijs adoleſcentiæ, quam Senectutis. Nam libidinoſa, & intemperans adoleſcentia effętum corpus tradit Senectuti.* Cumq; maturitas ætatis ſuo iure auctoritatem poſtulet [b]; tantum abeſt, vt hi Senes, qui ſuperiorem ætatem in vitijs conſumpſerunt, auctoritatem habeant, vt ludibrio ſępè ſint, & deſpectui omnibus, qui eos nouerunt. Vnde ſctiptum eſt [c]; *Equus indomitus euadet durus, & filius remiſſus euadet præceps.* Et rurſus [d]: *Curua ceruicem in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans eſt; ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Quod & Quintilianus tradidit dicens [e]: *Tum vel maximè ætas formanda eſt, cum ſimulandi neſcia eſt, & præcipien-*

a Apud Ciccr. lib. de Senect.

b Cic. in orato.

c Eccl. 30.

d Eccl. 30.

e Quinti. li. 1. ca. 3.

cipientibus facile cedit: frangas enim citius, quam corrigas quæ in prauum induruerunt. Et Vlpianus ait [a], trita & veterana mancipia difficile esse reformare, & ad mores suos formare. Quemadmodum enim facile est teneram plantam stirpitus euellere, altis tamen nixam radicibus non item: ita suppullantia in primo ętatis flore vitia, minimo negocio abscinduntur; quæ tamen vbi radices altius fixerunt? & diuturna consuetudine firmata sunt, difficillimè eruuntur. Vnde Sāctus Hieronymus scripsit [b]: *Difficulter eraditur, quod rudes animi perhiberunt: Lanarum conchilia quis in pristinum candorem reuocet? recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est.* Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, orbisque domitorem, & in moribus, & incessu Leonidis pędagogi sui nō potuisse carere vitijs, quibus adhuc paruulus fuit infectus. Et Sanctus Chrysostomus hanc parētum desidiam deplorās, qui magis de agro colendo, quàm de filio erudiendo soliciti sunt, inquit [c]: *Maior nobis possessionum cura est, quàm eorum, quorum illæ gratia comparantur, quod profectò absurdissimum, atque stolidissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem, atque pietatem molles filiorum animos, cętera omnia secundo loco quęramus.* Senectutem quippe prosequitur vitium, quod cum ipsa ætate adoleuit. Vnde & Salomon [d]: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Nam tametsi multi (inspirante Diuina gratia) in Senectute auertuntur

à vitijs

a l. præcipiūt. ff. de ædilit. edicto.

b In Epist. ad Læt. de institut. filiæ.

c S. Chry. in 1. ad Timot. ho. 9.

d Pro. 22.

vitijs adoleſcentię; frequentius tamen hoc cóingere ſolet, vt mores, quos homo gignit in adoleſcentia, non eos mutet in Senectute. Et ideo idem Salomon non deſinit ſæpius, & varijs veribis parentes admonere, vt adoleſcentiæ filiorum inuigilent, dicens inter cætera [a]: *Ne corrideas filio tuo, neque condolcas: nam in nouiſſimo obtupeſcent dentes tui.*

[a] Eccl. 30.

Adoleſcentia excolenda vt bonum pariat Senectutis.

HAEc autem omnia ſapientum quoque iudicio maxime ſemper probata fuiſſe, ſatis perſpectum eſt. Nam qui de optima Republica gubernanda, de Regnis, nationibus, populiſque adminiſtrandis, poſteritati libros reliquerunt; quamuis diuerſis, ſæculis, varijſque in orbe regionibus floruerint; vno tamen fere ore in hoc conſpiraſſe videntur, ac ſummam præceptorum illorum hanc extitiſſe; vt à teneris inciperent homines moribus imbui, ſi ad frugem aliquam eſſent peruenturi. Imo nullam commodiorem rationem ſanandis moribus, & publicis neceſſitatibus ſubueniendi, hac vna inueniri poſſe conſenſerunt [b], quam ſi pueri, & adoleſcētes rectè inſtitui, & honeſtis diſciplinis informari curarentur. Et inter cætera, vt iuuenes erudirentur linguam continere, iram ſubijcere, veritatem vbique proferre, cum mentiri ſeruile ſit vitium, & quod

[b] Plu. de lib. inſtit.

& quod maxime refert, mollitiem omnem, & indulgentiam fugare. Nam cum virtus circa difficilia opera versetur; qui à iuuentute sic educatur vt laborem, & molestiam fugiat, & in delitijs nutriatur; is ad omnia præclara studia, quę cum labore coniuncta sunt; ineptus efficitur.

Hoc Plato cum sæpè tradiderit, & magistratus huic disciplinæ præfecisset [a], addidit; nec magistratus ipsos vmquam bonos futuros, nisi à pueris essét bene educati. Aristoteles hoc ipsum adeo amplexus est, vt pictas tabulas, quæ obscęni aliquid continerent, seu lasciuas comœdias, aut imagines Deorum nudas, pueris omnino prohibendas esse tradiderit [b]. Xenophon etiam tum in pædia Cyri, tum in libro de Republica Lacedæmoniorum, idem adeo vbique inculcandum duxit; vt eos etiam, quos Pædonomos vocat, in hanc curam instituerit.

[a] Plato li. 4. de Repubi. & li. 2. de le.

[b] Arist. Polit li. 7 c. 17.

Philippum item Regem Macedonem notum est, nato sibi filio Alexandro ad Aristotelem scripsisse; non tantum lætari se, quod filium suscepisset, quàm quod eo tempore, quo Aristoteles tot virtutibus præstans, illum erudire posset, genitus fuisset.

Sed præter alios, veterem hunc morem filios rectè educandi, ciuitatibus maxime necessatiũ, præclare tradidit Isocrates dicens [d]: *Non in lustris adolescentes aleam ludebant, nec versabantur apud tibicinas, aut in huiusmodi conuenticulis, in quibus nunc totos dies conterunt; sed y studijs immorabantur, quibus erant destinati; & qui princip e. ma*

[d] Aul. Gell. li 9. c. 3.

[d] Isocra. orat. Areopag. suasor. 4.

cipem in illis locum tenebant, eos admirabantur, & sectabantur. Horum autem ita fugiebant, vt si quando transire congerentur, id magna cum verecundia, & modestia facere viderentur; Senioribus veroaduersari, aut maledicere, grauius esse putabant, quàm nunc parentes violare. Iam in caupona edere, aut bibere, nemo, ne frugi quidem seruus, audebat: grauitati, non scurrilitati studebāt; & homines dicaces, & ad irridendū paratos, quos nunc facetos vocant, illi calamitosos iudicabant. Quod ét à veterib. Romanis obseruatum fuisse accepimus, qui in conuiuijs egregia maiorum facta ad tibias canebant, quo ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent, ex qua domestica disciplina scribit Valerius Maximus, Camillos, Scipiones, Fabricios, Marcellos, Fabios, & alia Imperij Romani lumina exorta fuisse[a], cum ijdem presentibus Senibus etiam ipso cęnę tempore, parco admodum, & modesto sermone vti solerent[b].

In quam curam, eo magis Sanctos Patres nostros incubuisse legimus, quo clarius, dictante eis Sancto spiritu, agnouerunt, ex moribus corruptis facile viā hæresibus aperiri; cū Apostolus Paulus testetur[c]: *Multos repellentes bonam conscientiam, naufragauisse circa fidē.* Et alibi ait[d]: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Hinc Sanctus Basilius hoc argumento præclara multa complexus est[e]; obseruans Apostolum, cum vellet laudare Timotheum discipulum, dixisse inter cætera

a Valer. Max li. 2. c. 1 n. 10. de iuuen. obser.
b Ibidem li. 2. c. 1. tit. 9. de Senect. honor.
c 1. ad Ti mot c. 1.
d 1 ad Ti mot. c. 6.
e S Basil. in reg. latius disp. c. 15 et in reg. brev. q. 292.

cætera, quod ab infantia ſacras literas noſſet.

Sanctus etiam Hieronymus hanc inſtitutionem tanti feciſſe videtur, vt ſcribens ad Lætam de inſtitutione filiæ, & ad Gaudentium de educatione Pacatulæ; ad multa, quę minutiora alioquin videri poſſent, pleno ſtylo deſcenderit.

OMITTIMVS hic conciliorum multorum decreta de inſtitutione puerorum & adoleſcentum, edita ab Alexandro Tertio, Innocentio Tertio, Clemente Quinto, & alijs multis: ac denique in Concilio Tridentino, ſeminaria ad hanc ſanctam diſciplinam confirmandam, augendam, & propagandam, inſtituta.

Cuius rei magno id etiam argumento eſſe poteſt; quantum referat ſcilicet ad pietatem, & bonos mores aſſequendos, per hæc ſalutaria initia adoleſcentes deducere; quòd videmus Imperatores impios, & qui Chriſtianam religionem funditus euellere conabantur; nihil aptius ad id moliendum excogitaſſe, quàm vt animos mollęs puerorum, nefaria librorum lectione ſubuerterét; ſicuti de Maximino Imperatore legimus, qui vt teſtatur Euſebius Cæſarienſis, teterrimũ illum librum emitti curauit, inſcriptum Acta Pilati; quo pueri, eò facilius à vera religione auerterentur [a]. Quod & præſenti ſæculo ab aduerſarijs noſtris tentatum fuiſſe ſcimus, varijs libellis peſtilentibus diuulgatis, quib. rudis ætas à fide, & moribus alienaretur.

[a] *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. li. 9. c. 3.*

Cura societatis patrum Iesuitarum in adolescentibus instituendis.

CVI tamen pernicioso exemplo non passa est Diuina clementia nos succumbere; cũ præter summorum Pontificum, atque Episcoporum, & multorum Principum vigilantiam, & præter Regularium multorum disciplinam, ac scientiam, itemque Capitulorum, ac aliorum Ecclesiasticorum virorum industriam, & probitatem, excitauerit etiam temporibus nostris in signem Patrum Iesuitarum Societatem, auctore Patre Ignatio; qui inter multa præclara, & diuinitus illi afflata, ad Ecclesiasticam disciplinam, muniẽdã & disseminãda præsidia [a]. Collegia ẽt quamplurima nobilissima in præcipuis non solum Europæ prouincijs, sed etiam in remotis, proculque à nobis dissitis Indiæ, & aliorum locorum regionibus erexit: suffragante maxime Gregorio Decimotertio Bononiẽse sãctę memoriæ, qui ad variarum nationum collegia, & seminaria instituenda, atque ad iuuentutem religione, moribus, & doctrina erudiendam, plurimum contulit. Quarum quidem piarum institutionum quantus sit fructus, & quàm late in dies magis prouehatur; quoniam neminem existimamus tam rudem esse, qui ignoret, ideo in eo enarando, longius non progredimur.

[a] *Relata à P. Ribadaniera, a P. Maffaoin eius vita.*

Exem-

Exempla multorum : quorum proba Senectus ab adoleſcentia inchoauit .

ACCEDVNT ad hæc, clariſſimorum multorum virorum exempla, qui Senectam ſuam virtutibus, & auctoritate inſigniri cupientes, non canitiem expectandam, ſed ab ipſa adoleſcentia excolenda, ſibi incipiendum eſſe ſtatuerunt. Nam ut miſſos veteres illos faciamus, quos Cato in libro de Senectute commemorat, adiecta præclara illa ſententia: *Non cani, non rugæ repente afferunt auctoritatem, ſed honeſtè acta ſuperior ætas ; quæ fundamentis adoleſcentiæ conſtituta, fructus capit auctoritatis extremos* ; alioquin ſubdit, Senes tanquam inexercitatos hiſtriones in extremo actu corucre. Certe etiã plurimi Senes, de quibus in diuinis literis eſt mentio, vt Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, & alij, hoc modo Senectutem bonam, & Senectutis bona conſequuti ſunt. Et nominatim de Thobia ſcriptum eſt [a], nihil eum puerile geſſiſſe in opere, & cæpiſſe vſque initio timere Deum : Et de Moab dicitur [b] : *Fertilis Moab ab adoleſcentia ſua, requieuit in facibus ſuis, nec eſt transfuſus de vaſe in vas; idcirco permanſit geſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus* . Et, vt alia exempla non cumulemus, hoc certè minimè omittendum eſt, quod de beatiſſima matre Dei, quaſi fundamentum omnium virtutum ſuarum adduci

[a] *Thob. c. 1. & 2.*

[b] *Hiere. 48.*

duci solet, quæ à iuuentute sua templi seruituti fuerit dicata. Quemadmodum enim (inquit Chrisostomus) *industrij agricolæ primum semen in terram deponunt cupressi, aut aliarum arborum similium; deinde vbi conspexerint è semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam, in aliud tranferunt solum; vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram, & integram vim suam proferat ad nouam educationem: ita Anna puerum præter spē præseminatum in illo vtero, à domo transtulit, & in templum transplantauit, vbi sunt perpetuæ fontium scatebræ, & irrigationes spirituales*[a].

[a] S. Chrysost. ho. de Anna deque Samuelis educat.

Quibus adiungere liceret alios postea subsequutos viros memorabiles, vt sanctos Hieronymum, Basilium, Martinum, Nicolaum, Idelfonsum, Benedictum, Dominicum, Thomam Aquinatem, Petrum martyrem: præterea Pontifices, Maximos, Damasum, Gregorium, Nicolaum, Innocentium: & deinde Reges excelsos, Carolum Magnum, Rupertum, Ludouicum Galliæ Regem, Alphonsum Neapolitanum, & alios quamplures in historijs satis celebres; qui ab adolescentia ita vitam instituerunt, vt iuuentuti modestæ, & temperatæ, Senectus ornatissima, & florentissima succederet.

Itaque quemadmodum in frugibus, spica fructum continet, sed hæc indiget radice; & culmo, alijsque adiumentis, sine quibus ipsa spica consistere nequit: eodem modo Senectus est sanè fructuosissima; sed vt fructus ferat vberrimos, ne

cesse est vt alijs ætatibus nitatur, & ab eisdem robur, & decus suscipiat. Vnde in Deuteronomio dicitur [a]: *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & Senectus tua.*

[a] Deut. 33

Bonum Senectutis non tribuendum adolescentiæ.

SED dicet quispiam; si Senectus præsidio indiget superiorum ætatum, videlicet, adolescentiæ, & virilis; iam bonum quod habet, non erit proprium illius ætatis. Imo respondemus proprium esse Senectutis, quæ sicut cæterarum ætatum est perfectio, implementum, quasi forma; ita harum quæcunque bona tanquam præuiæ dispositiones, ad bonum Senectutis inducendum maxime inseruiunt. Ipsa enim hominis ætas est velut totum quoddam, cuius partes licet diuisæ sint; ita tamen inter se cohærent, vt si non omnes, saltem aliquæ aliarum ope indigeant: hoc tamen non obstat, quo minus singulæ certa habeant officia, ab alijs partibus seiuncta.

Quemadmodum enim in corpore humano sine iecore, aut splene, nullo modo reliqua membra suis muneribus fungi possunt; hoc tamen non prohibet, quo minus vnaquæque pars proprium habet munus à cæteris distinctum, & separatum: propriumque est oculi videre, & pedis ambulare. Imo sicut Bonum vnius partis communicatur alteri, quatenus inter se-

se

se conueniunt in vno, & eodem toto, & quatenus altera alterius auxilio indiget; vnde bonum manus, efficitur bonum pedis: eodem modo Senectus honesta, & præstans de qua modo est sermo, licet indigeat præsidio adolescentiæ, & constantis ætatis; non tamen propterea negare debemus, ipsi Senectuti aliquod Bonum proprie, & peculiariter cõuenire; quamuis sine aliarum ætatum auxilio, illud aut non possit, aut difficile consequi valeat: adolescentia enim, & virilis ætas, suut veluti Seuectutis ministræ, & quasi antecedentes ancillæ, comparantque illi locum apud homines; vt simul atque ipsa Senectus aduenerit, ab omnibus honoretur, ipsumque Senem oés colant, & reuereãtur. His igitur psidijs reliquarũ ætatũ Senectus munita mirũ est, quantos vtilitatis fructus sibi, & alijs pariat.

Nam vt omittam modo; quod supra dictum est, in Senectute magis, quàm in alijs ætatibus, mentis aciem, & prudentiam vigere certum est, non solum his rebus, verum etiam omnium ferè artium, & scientiarum cognitione, in quibus operam Senes ponunt, (dummodo in eis à teneris annis, vt fieri solet, diligenter, & assidue se exercuerint, & dummodo ingenium, & cætera sint paria) multum alijs præstare. Cum enim Senes iam ab adolescentia in his versati sint; postea ad cogitionem, quam in adolescentia perceperunt, longus vsus, & experientia accesserit; quis dubitat, quin maiorem illarum rerum cognitionem sint habituri, in quibus longius

temporis ſpatium, curam, & diligentiam adhibuerunt?

QVAPROPTER, vt prior hæc pars, quæ ad excolendam adoleſcentiam pertinet, concludatur; haud dubium quidem eſt, quin ea quę hactenus dicta ſunt, tot ſapientum virorum auctoritate munita, non debeant ab alijs quoque probari; & eos qui ad honoratam aſpirant Senectutem, in primis de adoleſcentiæ primordijs ſolicitos eſſe debere: Sicuti qui excelſum, diuque permanſurum ædificium cupit exſtruere, de ipſis in primis ſtabiliendis cogitat fundamentis; quæ etſi humi iaceant, magnam tamen & recto, & culmini afferunt ſoliditatem.

Attamen cogitantes, quàm lubrica ſit, & præceps ætas illa voluptatis appetens, verum raro dignoſcens bonum, iudicij parum compos, & futuri temporis minime ſolicita, ſed præſentis etiam prodiga; & vt ait Sanctus Baſilius[a]: *Perquam leuis, & ad flagitia quæque apprimè mobilis, ceu ſunt indomitæ, & effrenes concupiſcentiæ, belluinæ, & immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ arrogantia, faſtus ex animi elatione; reliquæ item affectiones iuuentuti vernaculæ, & coalumnæ, inuidiæ ob exuperantem alterius eminentiam, ſuſpiciones propter contractam familiaritatem: examina enim innumerabilium vitiorum ſe agglomerant, & adiungunt iuuentuti.*

[a] S. Baſil. in cap. 3. Iſaiæ.

Idcirco nollemus eos, qui hæc legerint, exiſtimare ſibi nimium dura, & inſolita quædam proponi; aut quæ ſi neceſſaria ſint ad Senectu-

tis

tis Bonum obtinendum, homines quodammodo terreant, ac viribus suis diffidere compellãt; vndem totum hoc nostrum exornandæ Senectutis consilium, inane prorsus, & irritum redꝺ datur.

NAM etsi non negamus; prouinciam hanc coercendi scilicet adolescentię cupiditates, & in eam bonos mores inserendi, non omnino leuem esse, nec cuicunque facile expositam; cum virtus (vt notum est) circa arduum & difficile versetur; & arcta sit via, quæ ducit ad vitam; & pauci sint, qui ingrediuntur eam.

Attamen non desunt etiam permulta, & veterum, & recentiorum exempla, qui nullis opibus, gradibus, facultatibus, scientijsuè innixi; sed proprium vitæ statum sequentes, tametsi rudes, pauperes, & idiotę, per hæc ætatum curricula honestè transierunt, ac Senectutis Bono, diuina adiuuante gratia, sunt perfruiti.

Prauæ adolescentiæ mores in Senectute curandos esse.

VERVM quando adeò frequens est hæc, & tam multorum miseria; vt videamus, libidines; commessationes, iracundias, ambitiones, aliaque flagitia in flore præsertim illo iuuenilis ætatis, captiuos ferè homines abducere, ac iugum eis imponere; quid dicemus? anne ideo desperanda erit illis omnis honeste Senectutis

transigendæ fiducia, ac præsidijs cunctis renunciandum? minime verò.

Nam quod olim à Gentilibus philosophis, & medicis ad sanitatem animi, & virtutem recuperandam traditum accepimus; multo magis à Christianis viris adhibendum, & sperandum esse, nemo dubitabit. Illi in ægritudinibus corporis, quæ insanabiles quandoque videri solent; hominibus persuadere conati sunt[a], vt etiam si quinquagenarij essent, & se morbo omnino labefactatos putarent; adhuc tamen eorum corpus in melius restitui posse, non diffiderent, modo diligentiam, & salubria consilia adhiberent; ita vt si non integram, & perfectam valetudinem, roburque Herculis, aut Achillis eis liceret obtinere; alterius tamen validi, licet robore inferioris, vires assequi posse confiderent.

[a] Galen. 1. de dig. curãdisq; anim. morb. c. 4.

Eodem prorsus pacto, quamuis propter corruptos superioris ętatis habitus, nõ speraret quis animum posse facile consequi sapientis; monuerunt tamen, non debere eum desistere, etsi quinquagenarius esset eam quam posset animi pręstantiam, saltem in secundis, aut tertijs, aut etiã quartis obtinere. Hoc enim eiusmodi non esse, vt fieri non possit, si modo conari quis velit, & seipsum exercere, & longiore tempore sui ipsius periculum facere.

Quod si hęc ab illis scripto tradita, & vtu probata fuerunt, qui nihil pręter exiguum naturę lumen, propriamque industria adhibebant; cur Christianus, qui adolescentię suę primordia minus

minus recto ad salutarem Senectutem cursu est ingressus non in viam, Deo iuuante; redire posse confidat? Nam & Lactantius postquam ætatem iuuenilem ex ijs esse dixit, quæ maxime ad delinquendum irritant, subdit: *Multi tamen in prima ætate turpes, & omni iudicio damnati, postmodum laudabiles extiterunt.* & Sanctus Augustinus, *nonnullos*, inquit, *legimus, & vidimus, qui aut adolescentiæ vanitate, seu ignorantiæ cæcitate decepti, vario peccatorum genere tenebantur obnoxij; deinde ocius ab errore conuersi, maiora ad huc opera feciße iustitiæ, quàm antea peccata admiserunt.*

Nos igitur cum præterea magnum illud, atque adeo excelsum beneficium agnoscamus, qd merito passionis Domini nostri consequimur; quippe qui misertus infirmitatis nostræ salutare pœnitentiæ sacramentum, in subsidium nobis reliquit, quo præterita expiare crimina, veteres sordes abstergere, & in illius gratiam restitui facile liceret; quid cunctari, aut vereri debemus, ostio hoc nobis ampliſſimo patefacto, quin Deo reconciliemur? quod cum in sancta Ecclesia sit omnibus notissimum, tum sacræ legis auctorita te, cum plurimis Sanctorum virorum exemplis, qui nouos mores induentes, se Deo gratos reddiderunt, iam superuacaneum videtur, id rationibus vllis comprobare.

QVARE, qui ad Senectæ fores peruenientes, vident, se non ea adolescentiæ suæ fundamenta iecisse, quæ oporteret; ingemiscant ex ani

mo, lachrimisq; præteritas eluant maculas: ac constãti fiducia sibi proponentes; cum nouo Senectutis cursu, nouum induere hominem; nihil deinde vereantur, præteritas prioris ætatis labes, sibi ad veram gloriam promerendam aliquo futuras esse impedimento: quin lætentur magis, se nouo hoc lumine, eo alaciores ad reliquam peregrinationem absoluendam, redditos esse.

De media ætate.

NVNC ad virilem ætatem accedamus, quę inter adolescentiam, & Senectutem media est; plurimumque & ipsa, si ex dignitate trãsigatur, superuenientem postea Senectutem potest adiuuare. Cumque rationes superius allatæ ad disciplinam adolescentiæ ineundam, pariter huic ætati congruant, imo magis hic requiri, plusq. necessariæ videantur, quo ætas hæc firmior, maturitati propinquior, negocijs gerendis aptior, in oculisque omnium celebrior esse solet.

Idcirco superiora omnia ad iuuandam adolescentiam tradita, hic quoque repetita esse censeantur. Nam vt Græcus ille dixit[a]: *homo natura quodammodo simillimus est vino*; vt enim illud nouum in primis ex racemis confici necesse est, postea deferuere, inde à sordibus, & superfluis expurgatum confirmari, & componi; vnde de fæ-

[a] Stobæus serm. 267

defæcatum, purum, & tandem omnibus suaue redditur. Sic hominem per varios ætatis gradus traduci, indiesque magis extergi, ac clarescere oportet, vt in Senio suam integritatem, ac consummationem proferre valeat.

Hinc scimus, varios clarissimos auctores in eo elaborasse, vt de huius ætatis, quam mediam vocant, moribus, & institutis excolendis, multa præclare conscripta relinquerent [a]: quæ quoniam publice extant, omnibusque in promptu esse possunt, ea hic iterare superuacaneum videretur. Tantum dicemus, ea quæ olim ex veteri Philosophorum traditione ad instituendam hãc mediam ætatem, sufficere visa fuerunt, non tamen hodie ad eam ex Christiana disciplina informandam satis esse; cum alia quædam præterea sint obseruanda, prioribus sæculis non antea haud plene cognita.

[a] *Plato de leg. Arist. in Ethic. Cic. offic. Plut. in Polit.*

Homo siquidem cum totius vitæ, omniumq; actionum suarum rationem omnipotenti Deo in nouissimo die reddere teneatur, ad duo principaliter respicere debet [b]; primum, quod illi competit ex natura, quam vocant speciei, & vt est pars totius generis humani; alterum, ex natura, quam appellant indiuidui. Et enim quatenus homo ratione, & arbitrio præditus est, atque ad imaginem, & similitudinem Dei creatus; in hoc cum cæteris hominibus, cuiuscumque sint conditionis, illi conuenit; ideoque pariter omnes ad diuine legis, & sanctæ Ecclesiæ præcepta tenentur: quibus præceptis annumerari

[b] *S. Th. 3. par. q. 88. ar. 1. ad 3*

ri etiam possunt quædam alia vniuersalia ex naturalis rationis lege ab initio prodita; veluti nemini iniurium esse, non aliena rapere, non mentiri, non assentari, iustitiam colere, sobriumq;, ac continentem se præbere: ad quæ obseruanda Gentiles etiam astringuntur. Alterum est præterea, ad quod vnusquisque ex suo proprio munere, ac statu, quem in hac vita suscepit, deuinctus est; cum ad alia munia, atque operationes teneatur Princeps, ad alia Episcopus, ad alia miles, ad alia rusticus, ad alia qui gubernacula Rei publicę tractat, ad alia qui priuatam vitam agit, ad alia qui vxorem habent, ad alia qui cælibē vitam ducunt. Quæ igitur de vita probe exercenda à veteribus conscripta reperiuntur, ea plurimum ad generalia quædam spectant ab omnibus obseruanda, quatenus rationis sunt participes.

Teneri vnum quemque ad suæ vitæ statum exercendum.

AT illud, quod spectat ad singulares vitæ actiones ex illius officij, & status lege, ac conditione, quem uniusquisque sortitus est, cum eius quoque exactam rationem supremo Iudici homo redditurus sit, idque non ita fortasse, vt opus erat, ab illis fuerit explicatum: cogimur nos quod magni sic momenti, in memoriam omnibus reducere; vt sciant satis non esse, ea com-

communia præcepta præstitisse; nisi & hæc, quę propria sunt, & peculiaria singulorum vitæ graduum, ab illis cumulate fuerint impleta.

Quapropter cum hæc media etas multiplices actiones in vnoquoque hominum genere complectatur, quę non à generalibus regulis, sed potius à peculiaribus functionibus illius status pendet, quem singuli adepti sunt; pergratum nobis fuisset, illas plenius recensere; vt hinc ea, quę ad iustum Senenectuti aditum præparandum conducunt, innotescerent.

Sed quoniam longum nimis, ac molestum esset ista persequi; cum hæc, quæ de Senectutis Bono conscribimus, non ad vnius tantum, vel alterius vitæ gradum, aut ad eos etiam, qui insigniores sunt, veluti Senatores, Magistratus, Doctores, & claros viros solum pertineant; sed ad vniuersos etiam pauperes, artifices, operarios, ac huiusmodi alios dirigantur, vt quisque norit, sibi statum vitæ suæ implendum esse: Ideo satis erit admonuisse, vnumquemque teneri ad ea præstanda, quæ ipsius status, & conditio postulat. Nam quemadmodum inquit Apostolus a: *Sicuti in vno corpore varia sunt membra, omnia tamen non eundem actum habent;* sed oculus videt, manus tangit, pes ambulat; & nisi vnum quodque ex his ministerio suo fungeretur, valde hæc omissio noceret corpori, illiusque vsum, ac dignitatem perturbaret: Sic vt Senij perfectione omnes potiantur, necesse est, hæc cuiusque officij, & status iura, ac præcepta non tantum eruditis, atque excel-

a ad Cor. 1. c. 12.

excelso loco positis viris, sed quibuscunque etiã alijs perspecta esse; ne eorum ignorantia, & transgressione, tot virorum multitudo, extremæ ætatis bono, & fructu destituatur.

Quomodo prouidendum multis qui inopia ingenii, vel opum, munus suum non obeunt.

QVOD si quis dicat, innumeros futuros esse homines, qui ingenij, aut opum, siue doctrinę inopia, hęc minime capere, aut ex illis cõmodum aliquod consequi poterunt: Dicimus fore, vt Deus pro eximia sua clementia spiritum talem Episcopis, Parochis, Concionatoribus, publicis sacrarum literarũ professoribus, ac alijs pijs, eruditisque viris dignetur concedere; vt agnoscentes quantopere in Ecclesia Dei, rerum harum cognitio esset profutura, libenter in erudiendis imperitioribus operam suam velint ponere; certo scientes, se immortalem apud omnipotentem Deum, hoc nomine, mercedem promerituros.

Quorum summa hæc est, vt vnusquisque am buletin vocatione, qua vocatus est, statumq; illum peculiarem ad animæ suæ salutem, tanquã agrum proprium ad familiam suam alendam sibi assignatum, fideliter, seduloque exerceat: sciẽs cum, qui partes suas non præstat, non solum ma

ximè

ximè Reipublicæ nocere, dum munia omnia, quantum in eo est perturbat; sed etiam reum magni se criminis constituere, qui minimè contentus eo ministerio videatur, quod ei Diuina prouidentia commisit; ideoque temeritatis huius graues pœnas, eum daturũ esse. Sicuti vicissim, qui industriam suam ad id opus confert, quod suæ vocationis est, in eoque sibi elaborandum statuit, dubitare non debet, tutissimum hunc sibi cursum, non solum ad Senectutis Bonum, sed etiam ad æternam gloriam assequendam, futurum esse.

Ac non ignoramus quidem, huius etiam ætatis mediæ tot esse difficultates, vt non facile sit, eas præ numero, & magnitudine, vt ait Cicero, enumerare [a]. Attamen cum sciat Christianus, se in hoc vitæ stadio positum esse, ad laborandũ, operandum, ac desudandum, Senectutemque tanquam vltimum esse huius conflictationis terminum; eo acriores sibi stimulos admotos existimare debebit, ad ea quę sibi incumbunt, strenue subeunda; quo magis otium omne, ac desidiam à Christianis præceptis abhorrere intelligit: quæ cum otiosi etiam verbi rationem reddendam esse iubeant, eo grauius temporis iacturam, ac socordiam omnem, ad calculos reuocandam esse, sibi persuadebit.

a Cic. in li. de Consolat.

Tem-

Tempus quomodo occupandum.

ET Quoniam multos in æstimandis vitę operibus decipi plerumque contingit, qui ne inertes videantur, bonas horas in leuioribus rebus impendunt; ideo ad hæc cauenda, & fugiẽda, breuem Senecæ sententiam subijciemus, valde huic inconsiderato hominum generi accommodatam.

Ait enim [a]: *Quorundam non otiosa vita est dicenda, sed desidiosa occupatio; veluti qui Corinthia concinnat anxia subtilitate: qui maiorem diei partem in æruginosis lamellis consumit; qui spectator puerorum rixantium sedet: qui vinctorum suorum greges in ætatum, & colorum paria deducit: qui apud tonsorem multas horas transmittit: qui de singulis capillis in consilium venit, si quid extra ordinem iacuit; qui malunt Rempublicam turbari, quàm barbam suam, & inter pectinem, & speculũ occupantur: qui in componendis, discendisque canticis detinentur: non habent isti otium, sed iners negotium.*

[a] Senec. in li. de brevit. vitæ c. 12.

QVARE vt ineptis istis temporis traductionibus, ex crassiore nimis inconsideratione irrepentibus facilius occurratur, tutissimum erit cõsilium supra à nobis memoratum; vt intelligamus, duabus quasi nos à natura indutos esse personis [b]; quarum vna est communis, ex eo quod omnes participes sumus rationis, præstantięque

[b] Cic. li. 1. off.

eius, qua antecellimus bestijs, à qua omne honestum, decorumque trahitur, & ex qua ratio inueniẽdi officij exquiritur: altera autem, quę proprie singulis est attributa, vt in ea nos ipsos perpetuò exerceamus; quippe quæ tantam quotidie cogitandi, agendi, necessariaque multa obeundi, materiam præbet; vt is, qui leuiter ad hęc mentem adijciat, in magno semper opere, ac fructuosissimo, per Dei gratiam sit versaturus.

De Senectute, & eius bono.

NVNC ad Senectutis tempus peruenimus, in quo necesse est, lectoré prænoneri quemadmodum de adolescentia, & ætate constante diximus, quæ suis disciplinis, & institutis sũt excolendæ; sic multo magis in Senectutis cursu id præstandum; vt scilicet Senex perennia maturitatis suæ documenta præbere quotidie contendat, si Bono hoc, quod Senectuti inesse asserimus, sibi perfruendum esse putet: alioquin nihil ideo auctoritatem suam augeri censeat, quod caput canities tegat, nisi etiam morum incremẽta accedant.

Nam cũ bifariam in scripturis sanctis crescere quid dicatur: vnum, vt aiunt, corporaliter, vbi voluntas humana nihil prodest: alterum spiritualiter, vbi causa crescendi, in studio consistit humano[a]: Senes tum demum creuisse ætate censendum est, cum per eam doctiores ac sapientiores

[a] *Orig. hō. 3. in Luag. Luc. 2.*

riores effecti, ea quæ sunt paruuli depoſuerint; ac ſenili dignitate, & grauitate digna præſtiterint.

In Senectute plura quam in alijs ætatibus merita requiri.

QVOD adeo verum eſt, vt nec ſufficiat Seni adoleſcentiæ ſuæ, & conſtantis ætatis præteritos labores, & merita recenſere; niſi tunc maxime cum Senectus aduenit, pietas, vigilantia, & probitas non ſolum in eo producatur, ſed etiam alacrius augeatur, quo animus in Senectute magis viget, minuſque affectibus permoueri debet; alioquin, vt dicebat Cato, eo res eſſet indignior, cum cæteræ partes ætatis bene tranſactæ eſſent, extremum actum tanquam ab inerti Poeta fuiſſe neglectum.

Ac ſcimus quidem, non omnes viuentes pari modo vel feruentes ſpiritu, vel diſciplinis excultos, aut moribus inſtitutos conſpici; neque etiã cunctos Senes eodem modo perfectos, aut probatos reperiri. Verum id dolemus, vt Abbas Moyſes tradidit[a]; *Maiorem eſſe aliquando iſtorum, quam aliorum multitudinem, qui in tempore ſuo, quem ab adoleſcentia conceperunt, atque ignauia Seneſcentes, auctoritatem ſibi, non maturitate morum ſed annorum numeroſitate conquirunt.*

[a] 10. Caſſ. coll. 2. c. 13.

Hanc igitur magnam varietatem non ceſſamus nos inculcare; vt memor ſit Senex, ſe vigilem

lem maxime, et solicitum esse oportere; ne quem sibi ætas honorem, & grauitatem peperit, ille iuuenilibus studijs confundat. Nam vt à Sancto Chrysostomo scriptum est [a]: *Regem honoramus, & eius purpuram, & diadema, quoniam ista sunt signa Principatus; si vero viderimus illum indutũ purpura conspui, ab armigeris suis conculcari, præ focari, in custodiã mitti, dissipari; nunquid reuere mur tunc purpuram, aut diadema; non ne & ipsũ schema plorabimus?* Sic Senex est Rex quidam si nouerit sapientiæ Senilis decus tueri. Atqui purpura tantũ canitiei induitur, sed à solio Regio se deijci, & seruum pecuniarum, delitiarũ, ebrietatis, libidinis, effici patiatur; quomodo nõ schema splendidum, & honorabile Senectutis perturbat, & dissipat? Hinc Sanctus Ambrosius [b] scripsit: *Vere Senectus illa est venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reuerenda canities, quæ est canities animæ, in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ est enim vere ætas Senectutis, nisi vita immaculata; quæ non diebus, ac mensibus, sed sæculis propagatur, cui sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas?* Et rursus ait [c]: *Hæc in bonis moribus dulcior, in consilijs vtilior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior.*

[a] S. Ioan. Chrys. in c. 5. ad Hebr. c. 4. homil. 5.

[b] S. Amb. epis. 60.

[c] lib. 1. Exam. c. 8.

Itaque cum Senectutis laus id iure suo exigat, vt sicut Senex alios ætate præit, sic exemplo, & vitæ actionibus antecellat: quomodo poterit ille partes suas præstare, atque adolescentes præ

ter decorum se gerentes, ad modestiam redigere, si ipse in canitie tam iuueniliter se gerat? quomodo poterit filij mores componere? quomodo in seruum peccantem animaduertere? quomodo amico in officio cessanti consulere? si ipse sic in extrema Senectute ineptiat? Quid vero si in taberna sedeat, si ad vana spectacula [a], ludos, choreas, ac saltationes concurrere non erubescat? & instar pueri currens cum plebe, ad theatrum ascendat? Vere confusio est, & irrisio, vt canitie ornetur extrinsecus, at intrinsecus animum gerat puerilem. Hinc etiam scripsit Cicero [b]: *Nihil magis cauendum est Senectuti, quàm, ne languori se, desidiæque dedat*. Quòd si libidinum intemperantia ei accesserit, duplex malum est: quod & ipsa Senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

a S. Chrysto. ho. 4. contra, & cur. ad theatra. & in ep. ad Habr. c. 4. ho. 7.
b Cic. lib. 1. de off.

De vitijs in Senectute fugiendis.

HAEC à nobis dicta sint; vt intelligant Senes, incontinentiam, leuitatem, libidinẽ, iracundiam, auaritiã, periuria, aliasque culpas, in ijs multo grauiores, quàm in cæteris se prodere; nec excusari vllo pacto, si virtutes his vitijs contrarias, ac integrum Christianæ disciplinæ chorum, Prælatis tantum, & Sacerdotibus, aut monachis præscribi putent; non alijs, qui in hominum commercio viuunt, & in ciuitatib. con-

san-

ſanguinitates, familiaritates, propinquitates, & mutua cum alijs officia colunt. Nam imo & beatitudines, quæ à Chriſto prædicantur, non Monachis tantum dictæ ſunt, alioquin totus mundus periret; ſed hæc virtutum munera, iuxta Eccleſiæ ſanctę conſtitutiones, ac ſanctorum patrum traditiones, vniuerſos homines, & Senes præcipue cõplectuntur, vt ait Sanctus Chryſoſtomus [a].

[a] ad Hebr. cap. 4. hom. 7.

Bonum Senectutis rectè dici cum laboribus coniunctum.

CVR ergo, dicat fortaſſe aliquis, nos Senectutis Bonum appellamus, ſi ad titulum hunc obtinendum, neceſſe eſt eam aſſiduis laboribus, ſtudijs, actionibus, & meditationibus exerceri? nonne hoc cæteris quoq. omnibus ætatibus eſt commune? vt ſcilicet cum partes ſuas, vbi opus fuerit, digne præſtiterint; Bono quoq;, ac præmio illo dignę habeantur, quod congrue poteſt illi ætati conuenire? vnde ſicut Bonum Senectutis ſic etiam Bonum virilis ætatis rectè poterit appellari.

Reſpondemus; ſine controuerſia eſſe, virtutes quocunq; tempore, aut loco exerceãtur, ſuũ ſecum honorem, ac dignitatem ſemper adiunctam habere; hoc tamen Boni elogium à nobis Senectuti præcipue adſcribi, non ſolum quia hæc ætas, quæ à multis odioſa, moleſta, amaru-

lenta, & ad res præclaras inepta, atque inutilis perperam censebatur, à nobis suo digna honore, atque auctoritate ostenderetur, sed etiam quia cum totus humanæ vitæ cursus ad Deum colendum, iustitiamque eius implendam fuerit homini assignatus; nulla est ætas (generaliter loquendo) quæ plenius, facilius, tutius, ac sanctius, quã hæc ipsa id præstare queat.

Nam quemadmodum in agris, qui pari agricolarum labore, & industria coluntur, videre est eum, qui cæteris natura feracior est, vberiorẽ fructuum edere copiam: sic in hominum ætatibus, quamuis fruges, & messes bonorum operum, pro illarum ratione, ab omnibus commode possint expectari; in Senecta tamen, atque illius maturitate, mirum est, quàm multiplex, copiosa, densaque frugum collectio subsequatur, atque horrea spiritualia repleat, modo non desit agriculæ industria, & solicitudo.

Quare cum hæc ipsa ætas præ cæteris ad præclara opera exercenda, vt aliàs etiam diximus, præcipue emineat: idcirco non possums non magnam eorum desidiam, ac tarditatem deplorare; qui tantam rei bene gerendæ, & lucri in æternum faciendi occasionem omittentes, fructum hunc maximum, atque emolumentum sibi misere deperire patiuntur.

De fructibus variis Senectutis.

QVOD tandem, vt quale, quantumque sit, paulo clarius ostendamus; visum nobis aliàs fuit, Senectutem ipsam similitudine quadam, tanquam humanæ vitæ arborem proferre, quæ altis bonitatis, ac sapientiæ radicibus innixa, fructus deinde fœcundos, ac multiplices probitatis ederet. Itaque cum illius radices quinque, magno virtutum robore defixas, superius fuerimus persequuti a: Nunc superest, vt de eius fructibus agere aggrediamur: quæ tractatio extremo hoc loco maximè congruere videtur, eo quod fructus proprie dici soleat, qui postremus est rei perfectæ, & absolutæ fętus. Et tametsi Boni appellatio fructui etiam conuenire potest; non tamen contra, fructus vocabulum ad omne bonum solet pertinere: cum triticum donec in culmo est, aut in spica ante messem, Bonum dicatur; fructus tamen nomen non nisi ex maturitate consequatur. Vnde sicuti illud dum in campo, & in agro est, indiget rebus multis adiuuari, vt ad fructum, & ad messem possit peruenire: sic Senectutem diximus, vt expectata à se munera largiatur, antea adolescentiæ, & virilitatis ope fulciendā; quæ tamen neutiquam sunt fructus, sed potius ad fructum ferendum auxilia, atque instrumenta, prout ex superius dictis facile est colligere.

a Par. 2. pag. 81.

Fructus dupliciter considerari.

CVM autem fructus dupliciter considerari possit; primum, vt comparatur ad arborem producentem, quasi effectus ad causam: deinde, vt refertur ad hominem, qui eo fruitur, tanquã finis quidam operantis: sic proportione quadam possumus nos hunc fructum in Senectute bifaria considerare: primo, vt est Senectutis effectus: secundo, vt est vitæ hominis finis, qui vltimi delectabilis rationem habet. Et sicut nihil prohibet, quin illud, quod est fructus vnius rei, alium quoque ex seipso fructum emittat, sicuti finis ad finem ordinatur [a]: sic operationes maturæ ætatis quatenus cum ratione conueniunt, & delectationem habent, & extremum etiam illud exeuntis vitæ attingunt, fructus aliquo modo dici possunt: & quatenus etiam variis vsibus, ac diuersis finibus ex operantis proposito applicari possunt, quomodo triticum, vua, olea, nux, varijs humanæ vitæ commoditatibus inseruiunt, in eo etiam fructus nomen retinent.

[a] S. Th. 1-2. qu. 70. ar. 1. ad 1

[b] S Th. 1-2. qu. 11. art. 3.

Nolumus tamen ita intra fines huius diuisionis septos teneri, quin nobis liceat huius vocabuli significationem, prout res postulabit, aut et instituto nostro commodius esse arbitrabimur, latius etiam aliquando multorum aliorum exemplo prorendere.

Sicut

Sicut ergo ex Philosophorum sententia, fructus accipi solet, tam pro vltimo effectu, qui ab arbore, seu alia causa producitur, quàm pro eo extremo, quod desiderari solet, ex cuius vsu, & fruitione delectationem, & suauitatem homo percipit. [a] S. Th. 1. 2. qu. 11. art. 3.

Eodem modo nos in præsenti latiore quidem sensu, ac morali potius modo, quàm certa verborum proprietate obseruata, à primo illo capite inchoamus, quo fructum Senectutis in vniuersum, tanquam causæ effectum vult aliquis metiri. Et hic illud memoramus; quòd sicut in templo Salomonis effictæ erãt arbores, & plantæ illæ præcipue, quæ semina, & fructus plurimos ferebant: Sic inter cętera Senectutis ornamenta, hoc in primis decus censeri, quod fructuum abundantia sit referta; quos superiora eiusdem hominis ętatis spatia, vix vnquam, aut certe non ęquè agnouerunt.

Fructus maturæ ætatis quomodo ostendantur.

ID autem sic ostenditur; quod cum fructus hos, de quibus agimus, nil aliud esse intelligamus, quam actiones maturę ętatis cum virtute coniunctas; actus autem virtutis nihil aliud sit, quàm bonus vsus liberi arbitrij, vt ait Sãctus Augustinus [b]; constat quidem hoc liberum

[b] S. Aug. lib. 2. de lib. arb. c. 19. Et S. Th. 1 2. q. 55. ar. 4.

arbitrium omni hominis ętati, quę rationis sit capax, cóe esse, secundum naturam speciei, quę homines oēs peręquè cōplectitur. At secundū naturam, quam vocāt indiuidui; constat etiam, aliquos homines ex corporis cōstitutione, ex cęli vbi degit temperie, ex habitu, ac morum assuetudine, aliisque circunstantijs, plus minusue aptos, propensosque ad hanc, vel illam virtutē, aut prauitatem esse [a], Vnde alter altero in hac etiam vita beatior dici solet in fruendo bono, eo quòd melius dispositus quoad corpus inuenitur, & melius quoad alia quædam instrumenta aptus, & idoneus extat ad illam boni frutionem [b].

a S.Th 1. 2. q. 63. art. 1. in respons.

b S Th. 1. 2. q 4 ar. 5. 6. 7. & 8. & q. 5. art. 2. in corpore.

HINC sequitur, quòd cum Senectus à nullis prorsus consequendis virtutibus excludatur, quæ in aliam ætatem cadere possunt: contra vero adolescentia vix vnquam morales virtutes obtineat; virilis ætas etiam ad virtutum chorū complectendum Senectuti non sit æqualis, ob experientiæ diuturnitatem, prudentiæ vim, ac effrenatæ cupiditatis impetum repressum, quæ maturam ætatem solet peculiariter comitari, & ob alia multa antea à nobis cōmemorata [c], alijs ætatibus non ita perspecta, & probata. Hinc (inquam) sequitur, aptiorem multo, quòd nemo in vniuersum negabit, reliquis omnibus ætatibus Senectutem futuram, ab bonum illum liberi arbitrij vsum exercendum qui præcipue in modo, specie, & ordine solet cōsistere [d]; quod summam circumspectionem, vigilantiam, ac matu-

c par. 3. pag. 220. & seq.

d S.Th. 1 2. qu. 63. art. 2. & q. 85. ar. 4

maturitatem, quæ Senilis ætatis propria est, requirit.

QVARE non immerito dicimus, fructuum fœcunditatem, bonarumque operationum desideratum, & delectabilem vsum (generatim nũc loquendo) Senio adscribi: nam de proprijs, & singularib. virtutib. quæ plurimæ sunt, inferius agemus. Vnde sicuti loca quædã vetustate fieri sanctiora; & arbores, quo longius durant, haberi illustriores; & temporis diuturnitatem, grauitatem rebus acquirere, & ampliora annorum spatia pondus solere monumentis afferre videmus: sic certum est, canitiem tribuere hominib. quandam venerationem consueuisse, qui fructus quidam maturæ est ætatis: tantumque abest, vt (quod olim ab aliquibus iactatum fuit) hæc vitæ fæx sit censenda[a], vt potius liquidissimus, ac purissimus liquor apud claros, excelsosque viros habeatur; modo mens sit sine iniuria; & Senex iure suo, ac proprio norit bono perfruit[a].

Hinc cum in Psalmo dicitur[b]: *Multiplicabuntur in Senecta vberi*, Theodoretus obseruat; quòd Senectus eo in loco vocatur perfectio; quoniam Senex quodammodo perfectus dicitur, imperfectus vero iuuenis. Et ideo ibi vocans *Senectam vberem*, indicauit propheta futuram perfectionem, in qua iustitiæ fructus multiplex producetur; quia tunc Senes vberem fructum ferét, & optimi, ac floridi erunt. Sic etiam omnia ferè alia, quæ creata sunt à Deo, tunc maxime fructum

[a] *Seneca Epist. 58. versus fin.*

[b] *Ps. 91.*

ctum ostendere solent, cum ad maturitatem peruenerint; sic plātæ, sic olera, sic stirpes multę, atque arbores. Vnde eorum exemplo, idem de hominibus affirmari potest, tunc scilicet illorū messem, ac fructum dignosci, cum ad Senectutem, tanquam ad maturitatem perducuntur.

Quemadmodum igitur Imperator, fusis fugatisque hostibus, vexilla in sublimi loco collocare consueuit, suisque tutus præsidijs, cunctis pacem, ac libertatem pollicetur: sic Senex domitis sensibus, impurisque affectibus profligatis, trophæa excelsa sapientiæ, scientię, consilij, intellectus, temperantiæ, atque experientiæ, quibus sibi ipsi dominatur, in altum efferre lętatur. Quod cæteri intuentes, longeque prestātius hoc esse animaduertentes; hominem scilicet sibi vni potius, quam mille alijs præesse, cum frequentes sint in terris, qui ciuitatibus ac populis imperant; perrari autem qui seipsos in potestate habeant; ideo non possunt non admirari Senem hunc tanquam de cęlo delapsum, atque imitandi studio ad eum confugere, cupereque illius ductu, ac patrocinio dirigi. Sed hæc generalia quædam sunt, quæ omnibus ferè patent.

ALEXANDER PP VI HISPANVS FERDINANDVS DEI GRA REX ARAGONIÆ

Fructus Senectutis triplices : erga Deum, erga proximum, erga seipsum.

NVNC de fructibus, qui singulares sunt, & proprij Senectutis, agendum est; qui secundo illo modo considerantur; quatenus homo ex Senectute tanquam ex arbore fructum percipit. Hi autem cum multiplices sint, nos ad breuiorem, & clariorem illorum cognitionem, tripartita eos ratione complectemur; quam propheta olim, cum ab eo quæsitum esset, qua potissimum ratione homines animam suam in tuto possent statu constituere, & æternam gloriam promereri, his paucis expressit, dicens a: *Indicabo tibi ò homo, quid sit bonum; & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium; & diligere misericordiam: & solicitum ambulare cum Deo tuo.* a Mich. c. 6.

Quibus verbis tria officiorum genera includuntur, quæ perfectum hominem in omni statu viuendi reddunt; cum vnum, ad Deum; alterum, ad proximum; tertium, ad se ipsum referatur b. Ille enim homo, cui datum est, tria hæc in præsenti vita implere; satis dicitur, quod debet, præstitisse; postquam Deo, proximo, & sibi ipsi, quæ suarum erant partium, persolvit. b S. Th. 1. 2. qu. 72. artic. 4. Et S. Ant. par. 1. tit. 7 6. 2. §. 2.

Et quamuis tria hæc bonis quibus suis actionibus

nibus peragendis omni ętati sint communia; Senectuti tamen peculiari quadam ratione adeo conueniunt, vt quasi propriè, & singulares illius fructus appellari iure optimo possint.

De Theologicis virtutibus in Senectute.

NAM à primo exordientes, si theologicas virtutes consideremus, quæ hominem recta in Deum ordinant, fidem, spem, charitatem; haud dubium est, has in Senectute longe, quàm in alijs ętatibus promptiores, & ardentiores spectari posse; cum ratio persuadeat, humanam naturam, quę semper perfugium aliquod quærit, (cum se fugiente vita, omni spoliatam inter homines auxilio videat, imo proximum instare diem reddendę rationis anteactę vitę, fidei luce illustrata, agnoscat, quod alię ętates non ita sibi persuadent (eo acrius incitari debere ad vires suas spirituales colligendas; vt in Dei vnius, ad quem properat, patrocinio expedita conquiescat; qđ maxime hac triplici ratione, credendo, sperando, & diligendo consequi debet.

Quid enim, vt ait S. Cyprianus, *stolidius fieri posset, si mens ad perfectionem festinare non contendat; quando totius corporis habitus Senectute confectus ad interitum properat? dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt; facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuũtur.*

a S. Cypr. de xij. abusionib. sæculi c. 2

tur, cutis arescit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinãt, genua trepidant, talos, & pedes tumor instat? etiam homo interior, qui nõ seneneſcit, his omnibus aggrauatur: & hæc omnia, ruituram iam iamque domum nostri corporis cito pronunciant.

De Religione.

HIs prope accedit Religio, quę ipsa etiam hominem in Deum ordinat, & prima est inter virtutes morales; quam clarũ est in Senili ętate, quę secum experientiam, maturitatem, & maiorem ad concupiscentias frenandas vim habere solet, vna cum cęteris virtutib. moralibus, facilius quàm in alijs hominum ętatibus obtineri posse. Pręterquam quod religio ipsa, quę nihil aliud agit, quàm vt homo singulari quodã honore, & cultu Deum prosequatur, totumque se illi tradat, Senibus, qui longo id annorum spatio & pręstiterunt, & professi sunt (iam demum corporis insultibus confractis, & mundi solicitudinibus prorsus fere relictis (pręcipuo quodam modo videtur conuenire. Vnde Diuus Cyprianus ait [a]: *plus omnibus, religioni operam dare, Senibus competit, quos præsentis sæculi florida ætas transacta deseruit.*

[a] S. Cypr. De xij. abusionibus sæculi. c. 2.

De deuotione.

QVIBVS addere licet deuotionem, quę & ipſa in Deum fertur; cuius cauſa intrinſeca cum ex varia diuinorum beneficiorum, propriorumque defectuum meditatione oriatur [a]; dubium non eſt, quin ea multò procliuior in Sene, quàm in alijs conſentaneum ſit inueniri; cum Senex, omnium rerum ſuarum Deo rationem cito redditurus, debeat omnem culpam, tum in omittendo, tum in committendo contractam, eo plenius expendere, ac ſecum diutius meditari.

[a] S. Thom. 2. 2. qu. 82. art. 3.

Adde, quod cęterę ętates bonorum externorum ſpe detentę, fluctibus perturbationum agitatę, non ita pręſto eſſe poſſunt ad ea prompte amplectenda, quę pertinent ad Dei famulatum, ſicut Senectus quæ his impedimentis caret.

Nam cum quatuor ſint rationes, teſte Sancto Bernardo [b], quæ deuotionem augent: Memoria peccatorum, quæ hominem reddit humilem apud ſe: Recordatio pęnarum quę illum ſolicitat ad bene agendũ: Conſideratio peregrinationis, quæ illum hortatur viſibilia debere contemni: Deſiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad perfectum, cogit eum à terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi. Nulli dubiũ eſt, eas in Senectute, quę maturior eſt, & prudentior, quàm in alijs ætatibus facilius, ac perfectius obtineri.

[b] In lib. de ſenect.

De

De oratione.

IDEM & de oratione, quæ ad religionem pertinet, affirmare possumus: ea enim in actu rationis consistit[a], quem diximus in Sene magis; quàm in alijs, ob longam eius ætatem, & consilium, & prudentiam vigere. Quid enim tam rationi consonum est, quàm Senem, qui rerum humanarum fluxam, lubricamque naturam sæpè ac diu expertus est, totum meditatione, atque precibus in Deum ferri, ab ipsoq. commutationem huius miseræ vitæ in alteram omnium bonorum cumulo perfectam, per singula temporis momenta expectare?

[a] S.Th. 2. 2. qu. 83. art. 10.

Præterea Senes maxime omnium reputare secum oportet, *quantis*, vt ait S. Augustinus[b], *amaritudinibus admixtum sit, si quid dulce, ac iucundum in via huius vitæ occursu suo nobis blanditur; quàm fallax, & suspectu, quàm instabile, et transitorium est, quicquid species, aut temporalis pulchritudo promittit. Considerat quæ sit patriæ cælestis pulchritudo, suauitas, atque dulcedo; secum ipse perpendit quantis miserijs, atque ærumnis vniuersum mortalium genus quotidie conflictetur, quantumque nobis in hoc exilio lugendum sit: quæ meditatio scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio orationem parit.*

[b] S. Aug. in lib. de spir. & anima. c. 49. et 50.

De

De grati animi virtute erga Deum.

PORRO de alia virtute, quæ gratitudo erga Deum à Theologis appellatur, quid dicemus? Nã cũ omnib. qui nobis benefaciũt, gratos nos exhibere teneamur a: multo magis hoc erga Deum præstandum est: licet autem nullus se illi satis gratum exhibere valeat, tamen Senex videtur maiorem grati animi significationem reliquis omnibus quodammodo dare posse. Et enim cum Deus omnipotens sit primum principium, & vltimus finis noster, ab eoque salus, & vita nostra pendeat, nihilque sit quod ei non debeamus, in quo viuimus, mouemur, & sumus, vt vetus ille Græcus poeta dixit; certũ est, non posse gratum hunc animum ab eo homine præstari, qui non summa illius agnoscat beneficia; & simul prouidentiã, sapientiam, generis humani custodiã memoria sæpe repetens, munera etiam quæ quotidie confert, non secum accurate meditetur.

a S. Th. 2. 2. q. 106. art. 3.

Quis verò inter homines hoc melius assequi potest, nisi qui hoc ipsum ita se habere longo, & continuato annorum spatio comprehendit, vsu perspexit, & quodammodo experiméto cognouit? Reliqui enim (loquimur dẽ cõmuni hominum more) quamuis obiter, vt ita dicamus, se ad Dominum suum laudandum, & glorificandum aliquando transtulerint; cum

tamen

tamen hæc non perpetua quadam obſeruatione, & diutina experientia perſpecta habuerint, non adeo hęc alte animo ſuo defigere, nec ſuā in illis memoriam exercere ſolent. Hincque, nec intimo cultu in Deum facile aſſurgunt, nec eo deſiderio illius perfruendi frequenter accenduntur; quo ſerui Dei, diu multumque in his exercitati, atque acriore propterea ſpiritu inflammari obtinuerunt.

De timore Dei.

His omnibus accedit alius fructus, qui timor Dei appellatur. Nam cum ex eo homines maxime in religione conſtantes, obſequio eius addicti, & a ſceleribus auerſi conſeruentur; nullus verè eſt ætatis gradus, qui efficacius hoc præſtare poſſit, quàm Senectus: quę nō ſolum creberrime oculis conſpexit prauos, flagitioſoſque homines in hoc ſæculo atrocibus ſupplicijs meritas ſcelerum ſuorum pœnas dediſſe, quorum exemplis ad ea vitanda ipſe admonetur; ſed proximum etiam Dei iudicium ſibi iamiam elabente vita ad futurum cernit, quo omnia ſua expendentur; indeque ad Deum reuerenter honorandum, præceptis eius parendum, ab eius offenſione cauendum, atque ante oculos tremendam illius maieſtatem perpetuo habendam, eò magis excitari debere, eſt veriſimile.

De animi fortitudine.

HINC etiam & maior animi fortitudo ad perferendos pro Christi gloria labores, contumelias, & ærumnas accedit; quo se ad vitę suæ certamina probanda, & ad cęlestia atria ingrediẽda propiorem esse Senex intelligit. Quod Saluatoris nostri verba innuunt, cum olim Petro Apostolo dixit[a]: *Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis.*

a S Io ca. 21.

Quæ verba, quoniam quoad illorum superficiem videntur nõnihil repugnare actui fortitudinis, quo martyrium libenti, & prompto animo suscipitur, sicuti Sanctus Andręas, Sanctus Ignatius, & tam multi alij fecerunt: Idcirco interpretes ita ea declarant, vt Dominus noster de voluntate tantum naturali locutus fuerit, quasi obijciens Petro Apostolo imbecillitatem illius secundum sensum; perinde ac si diceret; cum tu senueris, hostes fidei cingent te, & perducent in locum, & ad patibulum, quod tu nolles; secundum scilicet naturalem tuam voluntatem, & secundum sensum carnis: attamen non negat Dominus, quin Apostolus secundum rationem diuino spiritu roboratam, quæ in eo præualebat, non esset libenter mortem exemplo aliorum martyrum subiturus.

b Iansen. concord. Euangel. c. 148. col. 4. Card. Toled in S. Io c. 21.

Sunt

Sunt præterea multiplices alij fructus, qui ex superioribus consequuntur, quos prudés lector facile conijcere poterit, absque alia longiore nostra enarratione. Quos quidem tametsi longęuæ ætati, annorum maturitati, ac diuturnæ experientiæ tribuere tantum videamur; is tamen qui sapiens est, actionumque humanarum peritus, hæc ipsa in primis à Dei gratia proficisci secum cogitabit, ab eiusque clementia singulos hos fructus Senectuti communicatos fuisse agnoscet, sine qua eos nec cogitare vllatenus valeret; indeque eò magis ad immensam illius benignitatem attentius meditandam, atque eiusdem bonitatem ardentius colendam, sine dubio accendetur. Atquè hæc de fructibus Senectutis erga Deum.

De fructu Senectutis erga proximum: scire, posse, & velle.

ALTER est fructus Senectutis, qui erga proximum exercetur: Nam cum homo sit animal sociabile, & diuinæ naturæ particeps, & quemlibet ex Dei præcepto diligere teneamur: & vt ait Apostolus [a]: *Cui tributum, tributum; cui honorem, honorem;* & sic alijs in rebus, procuiusque conditione, charitatis cuique officia debeamus; nulla est certe ætas, quæ plenius hoc ipsũ, quàm Senectus exequi valeat. Etenim cum ad alterum iuuandum tria in homine requirantur:

[a] Ad Ro. cap. 13.

vnum, quòd sciat; alterum, quòd velit; tertium, quòd possit; videntur hæc (si cuiquam alteri) certè Seni maxime præsto esse. Nam quod ad scientiam spectat, nemo est, vt aliàs diximus [a], qui (cæteris paribus) plenius, aut certius aliquid inter homines scire posse sit censendus, quàm Senex; non solum propria, & aliorum industria, ac labore adiutus; sed etiam amplius longo vsu, & experientia instructus: inde multa solus depromere aptus est quæ alij nequeunt; constantiusque, ac tutius eadem probare, quàm vlli ferè alij valeant.

[a] Sup. pa. 2. pag. 9. & 97

De loquendi libertate.

QVOD verò ad voluntatē pertinet, cū non facile videamus loquēdi ingenuitatē, ac sinceritatem inter homines reperiri, siue id ex veteri naturæ corruptione, siue ex proprij amoris inordinato affectu oriatur, qui homines à vero charitatis officio auertit, ne libere quod sentiunt loquantur; ratio sanè probabiliter suadere videtur, hæc impedimenta longius à Senectute, quàm à cæteris ætatibus abesse debere; propterea quòd Senex, qui sibi dierum suarum exitum in foribus domus conspicit imminere, nihil habeat amplius in hac vita, quod à domesticis, consanguineis, à magnis viris, à magistratibus, à ciuibus, alijsuè quibuscunque ambiat, aut speret; & proinde nihil etiam ei superfit, quod

ab

ab vllo metuat. Nam ex his timor proficiſci ſolet, de ſententia Philoſophi a.

Vnde conſentaneum eſt, eum ab omni honorum contentione, & terrenarum rerum ſtudio, ac cupiditate expeditum & ſolutũ, liberè omnia agere, & loqui debere, quacunq. in re, quocunq. in loco, quocunque tpe, & cum quocunque viro; cũ vt ait Apoſtolus: *vbi ſpiritus, ibi libertas*. Nam ſi à rerum humanarum ſpe longe ſe abeſſe agnoſcit, libenter mortalia hæc, & fluxa contemnens, attollit oculos in montem, vnde auxilium expectat à Domino, ſperatque non dari in commotionem pedes ſuos.

a *Arist. Rhet. lib. 2 cap. 5. 2. Th. 1. 2 q. 42. art. 1. & 2.*

Quod vero Senex hoc magis, quàm in alia qualibet ætate præſtare poſſit probatione non indiget; cum annorum acceſſio, ad terrena deſpicienda, & cęleſtia deſideranda robur adiungat.

Credendum eſt igitur, Senem, ſi ætatis ſuæ auctoritatem velit tueri, eum tanquam publicum oraculum habendum; quod exemplo ſuo doceat, Deo magis, quàm hominibus fidendum eſſe, raro inueniri in humanis comercijs veritatem, cunctos quæ ſua ſunt quęrere, vniuerſa fallacia & inania eſſe, & diuinis tantum, atque æternis rebus inhærendum: homines caducos, varios, inſtantesq. crebro reperiri; & ideo eorundem fragilitatem ſæpe indigere auxilio, ſubleuatione, conſilio, diſciplina, ac patrocinio; huiuſmodiq; miſericordiæ officiũ, & pietatis erga proximũ, maxime Deo gratum, & acceptũ eſſe.

De alijs Senum virtutibus.

HANC incorruptam operandi integritatem, & loquẽdi libertatem multę alię virtutes comitari ſolent, ad proximum iuuandum directæ variæque actiones ex charitatis, iuſtitię, prudentiæque fontibus manantes; veluti beneficentia, eleemoſyna, correctio, prouidentia, mãſuetudo, ſinceritas, veritas, atque in iudicijs, in commutationibus, rerumque omnium diſtributionib. ſumma æqualitas, ac circumſpectio; quę cum omni ætati erga proximum ſint communes, præcipue tamen ad canitiem pertinere videntur, ob prudentiã, experientiã, atque auctoritatẽ, quæ illius ætatis propria eſt; facitque, vt morum exempla, atque actiones, ad aliorum ædificationem omnib. in reb. ab ea expectentur.

De vtilitate conſcribendorum librorum.

QVID uero de eo etiam fructu dicemus, quem tantopere Cato ille maior efferebat? qui cum armis inuictus eſſet, fertur dixiſſe[a]; *Quod plus ſe Republicæ crederet profuturum, ſi diſciplinam militarem conferret in literas. Nam vnius ætatis ſunt, quæ fortiter fiunt; quæ vero pro vtilitate Reipublicæ ſcribuntur, æter-*

[a] *Veget. de re mil. lib. 2. c. 3.*

na

ne sunt. Cuius auctoritate, & exemplo, cum multi literarum monumentis præclara quamplura, vt notum omnibus est, tradiderint; sunt qui laborem hunc in Senectute præcipue susceptum commendent; quod non solum possint illi literis mandare, quæ certius norunt, & vsu ipso experti sunt, quod non ita alijs contingit; verum etiam quia eorum scripta magis ab omni vana assentatione, mendacio, ac mordacitate abfutura esse verisimilius est, quo se propinquiores reddendæ rationi esse norunt: præsertim vero cum eadem à Senis ore proueniant, quæ omni debent maturitate nitere; ita vt aliorum etiã asperiori censura interdum prouocati, nihil tamen insolens, nihil acre, sed omnia ab ijs dicta summa mansuetudine, & moderatione repleta dignoscantur[a].

[a] S. Ioan. Chrys. in S. Mats. hom. 34.

De fructus Senectutis erga seipsum.

TERTIVS est fructus Senectutis erga se ipsum, eo pluris æstimandus; quo propius vtilitatem attingit nostram, cum vetus illud sit: *Nec quicquam eum sapere, qui sibi prodesse nescit*.

Cum enim duplex sit homo noster, vt ait Apostolus, interior, & exterior; videmus duplici quoque eum frequenter morbo laborare, cui sanando, & depellendo maturitas Senis solet suffragari. Nam cum carnis illecebræ, vt iã aliàs

dictum est, concupiscentiæ ardor, multaque voluptatum irritamenta, crebro sensuum affectus aduersus rationem incitare soleant: ecce Senectutis maturitas, effrænes illos impetus mirum in modum moderari apta est, intemperantiam cohibere, sobrietatem inducere, iracundiæ furorem mitigare, ac facilius multo quàm cæteræ ætates soleant, rebelles illas sensuum seditiones in officio continere, Senesque ad virtutum operationes, aptiores, & promptiores reddere[a].

[a] S.Th 2. 2.qu.149 art.4.

Quæ quidem magna ex parte Gentilibus etiã cognita fuerunt, cum apud Senecam legamus: *Non sentio in animo ætatis iniuriam, cum sentiam in corpore: tantùm vitia, & vitiorum ministeria senuerunt; viget animus, & gaudet, non multum sibi esse cum corpore: magnam partem oneris sui deposuit; exultat, & mihi facit controuersiam de Senectute; hũc ait esse florem suum; credamus illi, bono suo vtatur.*

Quæ vero ægritudines interiorem hominem exagitare solent, cum multæ, & graues sint, vt notum est; lætari debet maxime homo, quòd sicut inter pharmaca, illud quod omnibus penè morborum generibus medetur, *Diacatolicon* idcirco appellatum, præstantissimum haberi solet; sic vnicum Senectutis, & maturitatis aduenientis præsidium, omnes ferè sensuum perturbationes extinguere, ac animi solicitudines restringere, maxime opportunum est.

Nam cum in hac vita ad sedandas cupiditates, quibus homo tanquam turbinibus assiduo vexatur,

vexatur, nihil magis expediat, vt etiam à sanctis patribus traditum est, quàm omnia hæc inferiora, bene intelligere qualia sint, quàm momentanea, quàm incerta, & prauis etiam communia; tum futuræ vitæ, quę proxime instat, & nunquam finienda est, præmia alte prospicere; hodie certè vix alius quisquam, generaliter loquendo, hoc melius cognoscere, & verius præstare potest, quàm Senex; qui non solum fidei lumine, sed etiam ipso longo multarum rerum vsu, nihil vidit (excepta virtute) nisi spernendum, nihil præter animæ salutem, & Dei gloriam, nisi fugax, fallax, breue, & inane: adeoque multiplices mundi fraudes, hominum fallacias, vanas spes sæculi, varijs exemplis, rerumque euentibus deprehendit: vt quamuis hęc omnia fides illi clare interna reuelatione subministraret: cũ tamen mirifice etiã sensu ipso hęc adiuuari, & corroborari senserit: nihil ei superfit: cur non animum ab his terrenis, & caducis rebus, ad cęlestia, & sempiterna amplectenda transferat. Quod consilium, quo longior ei vita succedit, eo quotidie magis sibi videt confirmari; cum noua indies mendacia, noua inuenta, recentes ruinas, improuisa excidia, exquisitas fraudes, simulataque artificia exurgere, confingi, & ab humano ingenio erumpere inueniat.

Quæ cum sint innumera, & ex abditis nimiũ causis plerumque orientia, nec vix vllum humani auxilij genus admittant; arbitramur diuinis præsidijs suffultam Senectutem, illis animi magnitu-

gnitudine, & patientiæ ope fortiter posse occurrere: cum Senex qui tam multa expertus est, atque homines assiduis procellis huc illuc iactari, ac frustra affligi cognouit; facilius etiam quàm cæteræ ætates, in rerum aduersarum turbinibus, se valeat patientiæ clypeo communire; ac bonũ rationis quod hominis proprium est, hoc maxime tempore conseruare, ne tristitiæ, quæ ex calamitatibus oriri solet, succumbat; vnde patientiæ sanctæ, & salutaris laus exurgit [a]. Hincque sanctus Iacobus scribit [b], *patientia opus perfectũ habet*. Et Apostolus monet Senes [c]: *vt sint prudentes, sani in fide, in dilectione, & patientia*.

[a] S.Th.2.2.q.136.art.1. in resp. & ar.4.ad.2
[b] S.Iacob. cap.1.
[c] ad Titũ, cap.2.

Proprij amoris curatio ex Senectute.

QVONIAM vero, quę in alijs pspicue cernimus, atq; vsu experimur, sępe in nobis ipsis, pprij amoris cęcitas obscura nimiũ reddit, nec a nobis singula dignosci patitur: ecce affert longa ætas hoc etiam permagnum Senibus commodum; vt plenius non solum suam fragilitatem corporis, ac virium imbecillitatẽ; sed etiam animi inconstantiam, imperitiam, atque ad infinita prope vitia propensionem, ex longo ipso vsu omnino deprehendant.

Clare si quidem singula dierum incrementa, afferunt vnicuique terrenis cupiditatibus non obcæcato, materiam, & occasionem perspiciendi socordiam, inconstantiam, timiditatem, in-

scitiam

scitiam, imprudentiamque nostram; cum memoria repetamus, sæpius nos vitæ mutationem, noua morum instituta, multa disciplinæ, laborumque studia, ac pia exercitia suscipienda, nobis ipsis proposuisse, & tamen ab incœptis assidue cecidisse, nec quicquã pręclarum, aut Christiano ferè viro dignum vmquam pręstitisse, nobis conscij simus.

QVARE cum experientia, quę Senes in aliorum actionibus tantopere erudire solet, eadem etiam eos ipsos, ætate progrediente, in proprijs erroribus detegendis, ac conscientia instruenda, fideliter admoneat, idipsumque illis quotidie ante oculos statuat; quodnam potest beneficium cum hoc longæuæ ætatis beneficio comparari? quæ homini in hac vita potest maior gratia, aut largior beneficentia conferri, quã quod suorum scelerum conscius, veniam humili corde à Deo exposcat? quid hoc vno excluso cætera qualiacunque sint, nobis prodesse poterunt? quid vero hoc vno ætate confectis animaduerso, & vt oportet intima mente, & cogitatione obseruato, amplius quod illos diuexet, aut affligat, vmquàm relinqui poterit?

Imo sola hæc cogitatio attente apprehensa, non tantum reliquas solicitudines, atque animi molestias poterit expellere; sed etiam mentem summa hilaritate reficere. Nam vt ille, qui summo magistratu propediem potiturus, ob spem, atque exspectationem futuræ dignitatis, summã animo lætitiam concipit: Sic Senex hoc secum medi-

meditans, atque de bonis æternis attentius cogitans, iamque suas res componere instituens, per Dei gratiam: quædam beatitudinis præludia, & futura cęlestis patriæ gaudia incipiet prægustare; vt verum illud sit, quod olim à sapiente viro scriptum fuit[a]: *Optime eos viuere, qui maximè curant, vt quam optimi reddantur; suauissime autem illos, qui maximè sentiant sese fieri meliores.*

[a] *Xenop. de dict. et fact. Socrat. li. 4. in fin.*

Præter etiam memoratos istos maturæ ætatis fructus, liceret nobis alia quamplura illius lucra recensere; nisi facile futurum esse lectori sciremus, ex præcedentibus reliqua colligere; nosque singulis numerandis nollemus nimij videri, ac potius alijs molesti esse; præsertim cum non desint insignes auctores, magnaque ingenij, ac pietatis laude præstantes, qui in commentarijs suis præclara multa, de Senilis ætatis laudibus, sparsim attigerunt[b]. Quorum inter cætera hęc est sententia: *Etsi ætas quælibet suas amaritudines, suasque dulcedines habeat; omnibus tamen ad libram actis, tranquillam, & placidam, & honestam Senectutem omnibus ætatibus præferendam sentio; haud ignarus contra multorum, totiusque penè orbis sententiam me loqui.* Et paulo post: *O veneranda ante alias Senectus: O diu optata: O nequicquam formidata mortalibus; Et si noße ceperis, felix ætas: indignus est ad te peruenire, qui te metuit: indignus peruenisse, qui te accusat.*

[b] *Franc. Petr. li. 8. Epist. Senil. Epist. 2.*

De Senectutis laudibus ex variis auctoribus.

HAEc ex pluribus fructibus, & beneficijs, quæ ex annorum maturitate publice, priuatimque obuenire solent, perstringenda esse duximus; vt eò magis vnusquisq; ad Senectutis expectationem, atq; eam, qua decet dignitate excipiendam, vehementius accendatur. Quod quidem etsi satis sufficere ad illius commoda, & ornamenta patefacienda censeamus; visum tamé fuit ad maiorem consilij à nobis suscepti comprobationem, & vt Bonum Senectutis manifestum magis reddatur, in calce huius commentarij aliquas diuinæ scripturæ, ac sanctorum auctoritates, tum insigniorum aliquot Rerumpublicarum exempla, ac denique nonnullas sapientum virorum sententias, in Senectutis laudem adijcere; vt quanto eadem in honore, ac existimatione apud Deum, & homines, qui recte sentiunt, semper habita fuerit, vniuersis clarum, ac testatum relinquatur.

Ex sacris literis in honorem Senectutis.

AC primo consentaneum erit videre, quid Deus ipse æternus, et sapiétissimus, qui propter

pter ſuam bonitatẽ nullo modo decipere, & propter infinitam ſapientiam, nulla ratione decipi poteſt, de Senectute ſentiat, quidq; de ipſis Senibus proferat.

Hoc Danielis Prophetę verba declarant, dũ ait, ipſummet Deum immortalem, & ſempiternum Senis figuram aſſumpſiſſe: *Aſpiciebam* (inquit[a]) *donec Throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit; veſtimentum eius candidum quaſi nix; & capilli capitis eius, quaſi lana munda.* Inde cum ſummam illius Senis maieſtatem oſtendere vellet, ſubdit: *Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accenſus; fluuius igneus, rapiduſque gradiebatur à facie eius; millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

[a] Dan. 7.

Ex quibus verbis conſtat ad declarandã aliqua ex parte diuinæ maieſtatis amplitudinẽ, nullam aliam aptiorem, quàm Senis figurã (quod maximè Senectutem commendat) in celſiſſimo illo throno inuentam fuiſſe. Quamuis enim aliàs etiam in veteri teſtamento dicatur Deus apparuiſſe; ibi tamen, aut nulla eſt figuræ mentio, aut non ita apparuiſſe legitur; vt ſuæ maieſtatis ſpeciem vlla ex parte, hominibus vellet oſtendere.

Præterea in Apocalypſi, ſi oculos conuertimus ad mirabiles illas viſiones, quas Diuus Ioannes vidit profecto, myſterio minime vacare comperimus, quod viginti quatuor illi Seniores proximi Deo ſederint, cum reliqui om-

nes

nes in conſpectu eius ſtarent. ait enim [a]: *Et in circuitu ſedis, ſedilia viginti quatuor, & ſuper Thronos viginti quatuor Seniores ſedentes, circum amicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Amplius etiam cum mentio fit iudicij, Iſaias ait [b], *Dominus ad iudicium veniet cum Senibus populi ſui.* Et alibi [c]: *Cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu Senum ſuorum fuerit glorificatus.*

[a] Apoc. c. 4.

[b] Iſa. c. 3.

[c] Iſa. c. 24.

SED accedamus iam ad leges, quas idem Dominus ſuo populo præſcripſit; & animaduertamus, quanti Senes faciat, & quid de ipſis præcipiat.

Primum, vix vnquam mentio vlla eſt de reb. magni ponderis, in quibus non interueniunt Senes. Nam vt omittam Moyſem, & Aaron, quos (cum admodum eſſent grandes natu) delegit Deus, ſuique populi duces, & principes voluit eſſe: certè quo tẽpore lex lata fuit in monte Synai, licet ipſe Deus populum ad eundem mõtem non ſolum aſcendere, verum etiam accedere prohiberet, tantumque illi terrorem inijceret, vt vix quiſquam etiam longe conſiſtere auderet; tamen idem ipſe, qui reliquos arcebat, ſeptuaginta homines, non adoleſcentes, aut exiſtentes in ætate virili, ſed Senes, tanquàm dignio res, cum Moyſe aſcendere iuſſit [d]: *Aſcende* (inquit) *ad Dominũ tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & ſeptuaginta Senes ex Iſrael.* Et paulo poſt: *Aſcenderuntque Moyſes, & Aaron, Nadab, & Abiu,*

[d] Exod. 24.

Abiu, & septuaginta de Senioribus Israel.

Præterea cum idem Moyses difficile eundem populum in officio continere posset, & apud Deum, de onere quod ferebat, grauissime conquereretur; *Nõ posßum* (ait Moyses [a]) *solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi:* Sanè Deus non delegit alios; qui Moysi auxilio essent, præter Senes. *Congrega mihi* (ait Deus) *septuaginta viros de Senioribus Israel, quos tu nosti, quod Senes populi sint, ac magistri; & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facieſque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, & sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Et paulo post: *Venit igitur Moyses, & narrauit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de Senibus Israel. quos stare fecit circa tabernaculum; descenditque Dominus per nubem, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.*

[a] Nu. 11.

Item à principio, cum Deus Moysi apparuit, deditque illi negocium educendi populum ex Aegypto; statim iussit rem deferri ad Senes, tanquam ad eos, qui reliquis sapientia, & auctoritate præstabant. *Vade* (inquit [b]) *& congrega Seniores Israel, & dices ad eos.* Et paulo post: *Ingredieriſque tu, & Seniores Israel ad Regem Aegypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos.*

[b] Exod. 3.

His exemplis, vt alia multa omittamus, populus Isdrael à Deo, & à Prophetis edoctus; mirum est, quanto in honore Senes semper habuerit,

rit, eũ illis primis in rebus grauioribus detulerit. Nam Senes magna ex parte erant Consiliarij: item Senatores, & Iudices, sedebantque propè portas Vrbium, & omnes controuersias, & lites dirimebant, vt patet ex Deuter.[a], & ex libro Ruth, & ex Hieremia in Threnis: vbi varias calamitates populi deplorans, hanc consuetudinẽ attingit[b] dicens: *Senes defecerunt de portis*.

a Deut. c. 22.

b Thrẽ. 5

ITAQVE vt omnia paucis complectamur; Senes semper ferè primo loco numerabantur in illo populo, & erant velut proceres, & Ciuitatum principes, quod innumerabilib. propemodum exemplis perspicitur; quale illud est Iethro Sacerdotis Madian. Cum enim ipse socer esset Moysis, venissetque ad generum, vt illi gratularetur; Moyses, vt afficeret honore socerum, & illum (vt par erat) summo cum splendore, ac dignitate exciperet, non alios quàm Senes accersiuit, qui simul accumberent in conuiuio. *Venerunt* (inquit[c]) *Aaron, & omnes Seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Deo*. Hoc idem patet apertè ex verbis illis, quæ Saul Rex protulit ad Samuelem: cum enim Samuel Dei sententiam Sauli nunciasset, aperteque dixisset[d]: *Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex*. Et Paulo post: *Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel*: Ipse Rex Saul timens, ne sibi statim Regnum eriperetur; *Peccaui* (ait) *sed nunc honora me corã Senioribus populi mei, & coram Israel, & reuerte*

c Exod. 18.

d Reg. 15.

re mecum. Vt igitur saltem Regnum, quoad viueret, possideret; ac si hoc péderet à Senioribus, rogauit Samuelem, vt sibi apud ipsos Senes honorem exhiberet.

Notum est illud, quod de Rege Roboam legitur [a]; qui cum negocium populi prius ad Senes, deinde ad adolescentes detulisset; & tandem sententiam adolescentium probasset, grauia multa passus est; magnamque illius florentissimi Regni partem insipienter amisit, ea nominatim de causa, quòd à Seniorum consilio discessisset.

[a] Paralip. 2. c. 10. & 3. Reg. 12.

Atque hæc satis in præsenti sint ad veterem Hebraicę gubernationis consuetudinem significandam, quæ ex Seniorũ auctoritate, vt plurimum pendebat [b]. Vnde tam frequenter in veteri testamento nominatos legimus Seniores populi, Seniores Ciuitatis, Seniores Iudæorũ, Seniores terræ, & similia verba [c].

[b] Sigon. de Repu. Hebr. lib. 6. ca. 4. de Senat.

[c] In Concord. Bibl. verb. Senior.

Seniores in sacris literis quanto in honore habeantur.

NVNC alia quædam sacræ scripturæ loca proferemus, quæ tanquam leges à Deo ipso, aut eius Prophetis latæ, ostendunt, quanto voluerit in honore apud Populum Seniores haberi. Ac in primis in Leuitico scriptũ legimus [d]: *Coram cano capite consurge, & honora personam Senis*. Et apud Isaiam [e]: *Longæuus, & honorabilis,*

[d] Leuit. c. 19.

[e] Isa. c. 9.

rabilis, ipse est caput. Quæ verba ostendunt, Senes haberi tanquam capita populi [a]. Et apud Daniel.[b]: *Quia tibi Deus dedit honorē Senectutis.* Et in Eccl.[c]: *Vbi sunt Senes, nō multū loquaris.*

Et quibus verbis colligimus, plus Senibus à Deo tributum fuisse, quàm alijs potentibus viris. Nam cum de ijs dictum fuisset [d], *Non honores vultum potentis*; tametsi hos ipsos vulgus colere, & venerari soleat; Deus tñ illos nō magni æstimari iubet. Sed Senes quidē vult ab oīb. vehemēter obseruare: quā ob rē, inter grauia crimina in libro Sapiētię illud annumeratur [e]; nō parcere veterano, nec reuereri canos multi temporis: sic in Ecclesiastico dicitur [f]: *Ne te prætereat narratio Seniorum; ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Et alibi [g]: *Quam speciosum canitiei iudicium; quàm speciosa veteranis sapientia, & glorioſus intellectus, & consilium; corona Senum, multa peritia; & gloria illorum, timor Dei.* Et apud Iob [h], *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Imo cum Deus damnum aliquod in populo surrexisse ostenderet, dixisse legimus per Prophetam [i]: *Sacerdotes mei, & Senes mei in vrbe consumpti sunt:* siue cum minaretur, malum aliquod secuturum; prout aduersus Heli. dixit [k]: *Ecce dies venient, vt non sit Senex in domo tua.* Et rursus: *Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem peruenerit.* Ex testamento etiam nouo dignitas Senectutis colligitur, dum sanctus Lucas meminit [l] Prophetę Simeonis senis, *quia homo erat iustus, & timoratus,*

[a] Carth° in d. cap. Iſaiæ.
[b] Cap. 12
[c] Eccl. 32.
[d] Leuit. c. 19.
[e] Sap. 2.
[f] Eccl. ca. 8.
[g] Eccleſ. c. 25.
[h] Iob. ca. 12.
[i] Thrē. 1.
[k] 1. Reg 2.
[l] S. Luc. c. 2.

moratus, & spiritus Sanctus erat in eo. Et de Anna Prophetissa ait: *Quod processerat in diebus multis, & erat vidua vsque ad annos 84. non discedens de tẽplo.* Et Apostolus Paulus tantũ Senectuti tribuit, vt Senes, etiam cum erant, nolit reprehendi; sed potius obsecrari; dicens ad Timotheum[a]: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Et Sanctus Petrus ait[b]: *Adolescentes subditi estote Senioribus.*

[a] 1. Timoth. 5.
[b] 1 Petr. 5.

Apud Sanctos, & alios ecclesiasticos honor Senectutis.

QVOD etiam multis sanctorum Patrum monumentis sæpius repetitum videmus: Nam vt ait Zosimus Papa[c]: *Decreta Patrum Senectuti sanxerunt reuerentiam*: Et Sanctus Anacletus Papa[d] ait, *quod propter sapientiã presbyteri nominantur.* & Alexander Tertius Episcopo London. dicebat[e]: *Vigor deuotionis, & fidei (corpore etiam senescente) non deficit; sed vergente deorsum conditione corporea, feruor spiritus in sublimiora conscendit.* Et Innocentius Tertius[f]: *Senilis debilitas aliquando id operatur, quod ait Apostolus*[g]: *Cum infirmior, tunc fortior sum; quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinẽ cordis augmentat.* Et sanctus Hieronymus[h]: *Senex* (inquit) *crescente sapientia, ætate fit doctior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.* Et sanctus Thomas Senes honorandos ait[i],

[c] 80. extra statuta.
[d] 25. q. 5. & c fin. 84 dist.
[e] ca. 1. de renun.
[f] c. nisi cũ de renũc.
[g] 2. Cor. 12.
[h] Epist. ad Nepotiã.
[i] 2. 2. qu. 63. ar. 3.

pro-

propter signum virtutis, quod est Senectus. Quorum dictis complures alij Sancti, tum Græci, tum Latini cõsentiunt; qui magnis encomijs Senectutem exornarunt, vt in eorum monumentis passim legitur.

Honor Senectuti tributus apud omnes fere populos.

SED præterea, ne quis fortè hoc ex Christiana tantum disciplina receptum fuisse existimet; possemus hic, si opus esset, plurimarum gentium, & nationum leges, & consuetudines commemorare; ex quibus constat, maturam ætatem magni semper æstimatam; ac Senes præ cæteris in consilium adhibitos, illisque potissimum ius regendi populos, atque administrandi regna, cõmissum fuisse.

Verùm quoniam hæc apud auctores quamplures Græcos, & Latinos, veteres, & recentiores, conscripta varijs in locis reperiuntur; hodieque plurima ex monumentis, traditionibus, fama denique, satis vulgata videntur, nos ad minuendam lectori molestiam, ab ijs enarrandis libenter abstinuissemus: Sed tamen ne debitus Senectuti honor, quem alij summo fuerit plausu amplexi, à nobis nunc in hac parte prorsus prætermissus, nostrum iure accusare possit silentium; existimauimus nonnulla tantum paucis attingenda esse: ex quibus communem ferè

quendam populorum omnium consensum, ab ipso veluti naturæ iure profectum, possit vnusquisque colligere: prætermissis innumeris alijs exemplis, quæ per totum penè orbem dispersa perpetuo viguerunt.

Quare, vt ab Aegiptijs, qui se primos omniũ mortalium asserebant[a], inchoemus; legimus eos tam præclare, & honorifice de Senili ætate sensisse, vt in Hieroglyphicis Senem representarent hominem musicum; eo quod compositos mores, & sibi maxime consonos haberet. Iidem etiam Cygni effigiem exprimebant, qui dulcius caneret, cum morti appropinquaret, innuentes Seniorum actiones, quo propius ad finẽ vitæ accedunt, longe alijs ætatibus compositiores, ac sibi maxime consonos esse[b]. Et apud eos, maioribus natu iuniores obuij facti cedebãt de via, ac deflectebant, aduenientibusq; è sedili assurgebant, vt refert Herodotus[c].

Apud Gades scribitur, templum Senectuti dicatum fuisse, quod eam ętatem, tanquam rerum magistram, venerarentur[d].

De Pharisæis proditum est à Philone, & Iosepho, tanto in honore maiores natu habitos fuisse, vt ne contrarium quidem aliquando minores alicui responderent[e]. & hanc generalẽ apud Iudęos legem extitisse, vt iuuenes Senioribus omnibus honorem exhiberent, quia cunctorum Senior Deus esset[f].

In quadam Arabiæ parte, seu in Insula, quæ illi proxima est uersus meridiem, ait Diodorus[g],

honorem

a Luci. de Dea Syria. Iust. li. 2.

b Pier. Valer li. 23. verb. senex. mustaeus.

c Hero in Euterp.

d Philost. in uita Apolonij lib. 5. post princip.

e Ioſe. de antiq. lib. 17. cap. 1.

f Ioſ. contra Apionem. ca. 7.

g Diod. li. 3. c. 13.

morem fuisse, vt in quolibet cœtu Senior, alijs tanquam Rex, cui parent omnes, imperaret, ac post eum Senior acciperet Principatum.

Athenienses legimus ex veteris Solonis lege, hunc honorem Senectuti habuisse, vt natu maximus ciuium primus concionem haberet ad populũ, deinde cæteri ciues pro cuiusq; ætate; Nã vt ait Aeschines;[a], putabant, πρεσβυτάτους ἐξ ἐμπειρίας τὰ βέλτιστα τῇ πολεῖ συμβουλέυειν, Seniores ob experientiam optima Ciuitati consulere.

De Lacedemonijs permulta, & præclara refert Cato apud Ciceronem[b], dum ait: *nusquam tantum tribui ætati, quantum Lacedæmone; & nusquam Senectutem esse honoratiorem;* quod exemplis nonnullis insignibus declarat, quæ cum ab alijs etiam auctoribus sint relata[c], & hodie satis nota, nos prætermittimus, Nam & Xenophon de Lycurgo, & Republica Lacedæmoniorum loquens, illud scripsit[d] tum laude, tum admiratione dignum, vt ipse ait; Nam cum instituisset vitæ certamen penes Senes esse, perfecit Senectam pluris habendam, quàm iuuentutis robur, & recte quidem: quoniam etsi Gymnicacertamina pulchra habentur, ea tamen corporum certe sunt; Senectutis uero certamen, bonorum animorum inditium præbet: sed quantum corpori præstat animus, tantum etiam animorum certamina corporum certaminibus antecellunt. Vnde prouerbium apud Græcos.

ἐν σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν.

In Sparta sola expedit senescere.

a *Aesch. cõtra Ciesiphon.*

b *Cic. lib. de Senect.*

c *Val. Max. li. 4. c. 5. in fin. Aul. Gell. li. 2. c. 15. Iust. li. 3. Plut. in apophteg. Lacon. pag. 209.*

d *Xenophon. de Repub. Lacedæm. p. 347. Plut. in vita Lycurgi.*

Sed omittamus modo Lacedæmonios, accedamusque ad alias nationes, & videamus quid de Senibus existimauerint. Certe Seniorum operam, etiam in prelijs non solum commendatam fuisse legimus; prout de Vlysse, & Telemacho ait Homerus [a]: καὶ πολλοὶ περέοντες ἀναγκαῖοι πολεμιστάι. Verum ét memoriæ proditum est, Alexandrum Magnum à nemine voluisse ordines duci, nisi à Sexagenarijs [b].

Idemque ab alijs multis populis obseruatum fuisse [c]. Et de Adarchia Seniore legitur [d], qui omissum apud Halicarnassum à iuuenibus prelium, vnus maxime accendit; vnde præmio virtutis caussa donatus fuit.

Strabo quoque de Albanis scribit [e]; eos Senectutem nõ solum parentum, sed cæterorum quoque præcipue veneratos fuisse. Et referunt alij, eos qui Traprobanam Insulam inhabitabant, Regem eligere solitos fuisse, spectatum moribus, inueteratæ clementiæ, & iam annis grauem.

Sed quod omnium ferè aliorum instar esse potest apud Romanos nouimus [f], olim neque generi, neque pecuniæ præstantiorem honoré, quàm ætati tributum fuisse; ita vt maiores natu à minoribus colorentur, ad Deorum propè & parentum vicem; atque omni in loco, in omnique specie honoris priores, potioresque haberentur.

Quin relatum extat, Senectuti iuuentutem ita cumulatum honorem reddidisse, vt maiores natu

a Homer. odiss. lib. vlt.

b Iust. li. 11

c Tiraquel. in præfat. 164.

d Q Curtius li. 5. post prin.

e Strabo li. 11. ante med.

f Aul. Gell li. 2. c. 15.

natu tãquam communes adolescentium patres essent. Hincque [a], *iuuenes Senatus die, aliquem ex P.C. aut propinquum, aut paternum amicum ad Curiam deducebant; affixique valuis expectabãt, doneo reducendi etiam officio fungerentur. Inuitati ad cœnam, diligenter quærebant, quinam ei conuiuio essent interfuturi, ne Senioris aduentum discubitu præcurrerent: sublataque mensa priores consurgere, & abire patiebantur.* Et Plinius scribit [b], *Erat antiquitus institutum vt à maioribus natu nõ auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quæ facienda mox ipsi, ac per vices quasdam tradenda minoribus haberemus.* Et paulo post: *Suus cuique parens pro magistro; at cui parens nõ erat, maximus quisque, & vetustissimus pro parente.*

Quod quidem & alijs multis insignibus exẽplis eorundem Romanorum, literarum monumentis relictum fuisse legimus [c]. Vnde carmina illa de antiquis Romanis à Iuuenale prodita [d].

Credebant hoc grande nefas, & morte piandũ,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer: licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis acernos:
Tam uenerabile erat præcedere quatuor annis,
Primaque par adeo sacræ lanugo Senectæ.

Quod etiam Callistrati Iurisconsulti, ac iuris cõmunis auctoritate receptũ est, qui inquit: *Semper in Ciuitate nostra Senectus venerabilis fuit; namque maiores nostri penè eundem honorẽ Senibus, quem Magistratibus tribuebant* [e].

[a] *Valer. Max. lib. 2. c. 1. §. 6.*

[b] *Plin. lib. 8. Epist. ad Ariston.*

[c] *Plutar. in vita Publicola. Corne. Tacit. lib. 3. vbi de Corbulone. Tiraqu. de iur. prim. in præfat. n. 80.*

[d] *Iuuen. satir. 13.*

[e] *l. Sẽper. de iur. immunit.*

Ex

Ex antiquitate nobilitatem & alia ornamenta oriri.

HINC QVE tantus honos antiquitati semper delatus fuit, vt ea ad nobilitatem maxime pertinere censeretur [a]; & quo quisque antiquior, eo nobilior diceretur. Indeque omne feudum antiquum, posse etiam nobile appellari, Doctores tradiderunt [b].

Quare etiam id seruatum videtur, vt inter eos homines, qui eiusdem sunt generis, & nati ex eisdem parentibus, primas semper frater Senior referat; & qui ex eo nascuntur, tanquam maioré quodammodo nobilitatem consequuti, & qui sint veluti familiæ principes, nisi fortasse casu aliquo familia, quæ oritur ex fratre minore, magis splendeat. Qua ratione in familiis nobilissimis constat, ad hos nimirum ad fratres Seniores, patris maiorumque suorum hæreditatem pertinere; quod apud omnes ferè nationes vsitatum est: Et quantumuis frater minor natu, excellat ingenio, & prudentia; tamé nisi ille qui Senior est, omnino ineptus sit ad rem familiaré administrandā, s éper iuniori fratri prefertur [c]. Imo in Regum, & Principum maximorum successione idem seruatur: licet enim Reipublicæ causa agatur; tamen si Rex aliquis multos habeat filios, non habetur ratio illius, qui sapientior,

[a] l. prouidendum C. de postulan. & l. 1. C. de iur. aur. annul.

[b] Bald. & Alnarot. Card. in c. 1. §. caeteri. Quis dicatur Dux, & Comes.

[c] Tiraqu. de iur. primog. nu. 128.

tior, aut fortior est, sed qui maior est natu; dummodo tantum habeat ingenij, quantum satis est ad Rempublicam gubernandam.

Hinc etiam videtur hoc nomen Senior, tum propter propriam significationem, tum propter honorem, qui Senibus debetur, tantam habuisse apud aliquas nationes dignitatem, vt postea translatum fuerit ad significandos non tam homines Senes, quam potentia, auctoritate, & dignitate præstantes; vt patet ex Gallorum consuetudine: apud quos in Concilijs antiquis, quę habita fuerunt ętate Caroli magni, aut paulo post, Senior idem est, quod vir princeps, & qui alios habet in sua potestate, quod constat ex Concilio Holoniensi [a], quod est apud Synod. Melden. Apparet item ex eadem Synodo Melden. [b] & ex Concilio Pisten. [c] & ex multis alijs locis: videturque nomen illius temporis, & illius regionis propriũ, Imo inde verisimile est, translatum esse ad Hispanos nomen illud *Sennor*, quo ipsi honoris causa eos appellant, quos magni faciunt; tanta enim est literarum affinitas, vt excepto accentu, idem nomen esse videatur. Indeque fortasse etiam apud Italos ortum habuit nomen illud *Signore*, quo passim omnes vtimur. Sed & in priuatis domibus multis in locis obseruari videmus, illos qui familiam gubernant, & quibus reliqui parent, vt plurimum Seniores esse, ac Reggitores appellari, quod ipsi instar Regum omnes domesticos in officio tueantur [d].

a In ca. 2.

b In Synodo Melden c. 51.

c In ca. 4.

d Montecat in cõment li. 1 in Polit. Arist. tex. 13.

Ex

Ex hoc etiam vetuſtatis honore prodijſſe videntur imagines illæ fumoſæ olim dictæ, quæ vetuſtatem maximã, ſimulque generis claritatẽ præſeferebant. Qua de re dicit Cicero in Piſonẽ: *Obrepſiſti ad honores errore hominum commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorem.* Et contra, nouum hominem pro ignobili idem Cicero ſæpe appellat, prout ſatis omnibus notum eſt.

[a] *Iuſtin. lib. 2. Herodot. li. 2 Tiraqu. de nobil. c. 19. n. 28*

Inde quoque veteres illæ contentiones inter Aegyptios, Phrygas, Scytas, Athenienſes, & alios[a], qui ſe omnium mortalium antiquiſſimos, & ideo maiore in exiſtimatione, atque auctoritate apud omnes habendos eſſe, aſſerebant.

Hinc etiam magna illatum Vrbium encõmia exorta fuerunt, quæ antiquitatem præ alijs vrbibus præferebant; cum hinc nõn ſolum ipſis Ciuitatibus, ſed etiam Ciuibus ſplendorem, & decus acquiri, omnes iudicarent: & ideo quo tẽpore Vrbs aliqua laudatur, ſtatim ſi antiqua eſt ipſius origo, ſolet antiquitas ipſa commemorari.

Qua quidem ratione non defuerunt, qui Latinam illam loquendi phraſim à Cicerone, atque alijs probatis auctoribus receptam, hinc deductam fuiſſe putauerint: vt ſcilicet cum aliquid nobis optatum valde, ac magno in pretio habitum fuiſſe ſignificemus, id nobis antiquiſſimum, aut nihil ea re antiquius extitiſſe proferamus. Vnde Cicero [b]: *Mc quidem id multo magis mouet*

[b] *ad Atticum li. 12 epiſt. 4.*

mouet, quod mihi est & sanctus, & antiquius. Et alibi [a]: *Ne dubitaris, quin quod honestius, id mihi futurum sit antiquius*. Et Paulus Iurisconsultus [b]: *Disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quàm charitas liberorum*. Quod & alia exempla testantur multis in locis.

Quibus quidem rebus liceret nonnulla etiam adijcere, quæ ad huius nominis, SENECTVS, originem, ac vim pertinent. Verum cum superius hæc loco suo tradita fuerint, sic tunc argumento exigente [c]; lectorem rogamus, ea illinc (si placeat) haurire, ne nobis sint repetenda. Nunc enim quid opus est, quod ad Senectutis præstantiam, ac decus spectat, plura amplius congerere? cum Plato non vno in loco tradiderit [d], πρεσβυτέρους τοὺς ἄρχοντας δεῖ εἶναι, νεοτέρους δὲ τοὺς ἀρχομένους, idest, constat Seniores imperare oportere, iuniores autem subesse. Quod & Aristoteles affirmauit scribens [e], naturaliter Seniores iunioribus præesse. Atque id quidem etiam in brutis quibusdam obseruari traditum est, veluti in elephantibus, quorum ea est natura, vt gregatim ingrediantur, sed agmen ducat, qui natu est maximus [f]. Quod & de formicis ab aliquibus proditum fuit [g].

SED nec illud etiam omittendum est, quod in communi ferè omnium more positum videtur; vt cunctis hominibus etiam prouectioribus tum in literis, tum in familiari sermone, tum aliàs

a ad Atticum. li. 4. epist. 3.
b l postlimi[illegible]. § filius, de captiu. & postlim. reuers.
c In 1. par. pag. 6. & seq.
d lib. 3. de leg. & li. 2 & 5. de Repub.
e Polit. li. 7. ca. 14.
f Plin. li. 8. c. 5, & Solin. ca. 38.
g Aolian. lib 6 animal. c. 42.

liàs, cum illos ſalutamus, longiorem vitam precari ſoleamus; cum tamen nomine longioris vitæ, nihil aliud, præſertim ſi agimus cum hominibus, qui ſunt matura iam ætate, niſi Senectutem ſignificemus.

Item ipſi Pontifici Maximo; in die anniuerſario aſſumptionis ad Pontificatum, mos eſt, vt optetur longa uita, hoc eſt Senectus; ex quo conſuetudo manauit proferendi illa verba, AD MVLTOS ANNOS: Quæ etiam in acclamationibus Conciliorum, pro diuturna incolumitate Sanctiſſimi Papæ, Imperatoris, Regum, Legatorum, Cardinalium, et Epiſcoporum, pronunciari ſolent; quod & in conſecratione cuiuslibet Epiſcopi obſeruatur.

Præterea cum iubeat Deus in Decalogo, filios honorem parentibus habere, promittit illis tanquam præmium, vitam longam: *Honora* (inquit) *patrem tuum, & eris longæuus ſuper terram.* Deinde viris illis, qui apud Hebræos pietate, & omni virtutum genere floruerunt, concedebat Deus longam vitam, ac ſi in hac re beneficium tribueret, vt patet ex Noe, Abraham, Iacob, & multis alijs.

Item cum agitur de obitu illorum, hæc verba, aut alia eius generis commemorantur; *Mortus eſt, Senex, & plenus dierum: Mortuus eſt in Senectute bona.* Contra vero, ac ſi malum ſit, & quaſi ſupplicium quoddam, mortem obire ante Senectutem, & non frui huius extremę ętatis bonis,

nis; ait Dauid de hominibus sceleratis, & crudelibus. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Item idem Dauid desiderans ad Senectutem peruenire, ait: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.*

Et tandem ipsa Senectus est velut imago quædam æternitatis: licet enim nulla possit inter æternum, & id quod est tempore circumscriptum, esse proportio; tamen huic ætati tribuitur similitudo quędam perpetuitatis, propter excurrens magnum illud spatium, quod est inter ortum hominis, & extremum Senectutis & etiam quia vna Senectus, videtur alias omnes ætates quodammodo complecti: Senex enim retinet illas memoria, contemplaturque res omnes quas in adolescentia, & in alijs ętatibus gessit, tanquam præsentes.

Ex quibus, cum prudens lector, tanquam ex paucis seminibus, copiosos Senectutis aceruos, ac latissimè patentem in omnes regiones dignitaté possit intelligere: quid attinet, alia amplius cumulare: cum satis ex his, summam illius dignitatem, ac præstantiam, non solum legibus, moribus, omniumq; ferè populorum consensu munitam, ac confirmatam, sed naturali etiam iure subnixam esse videamus.

De

De Priuilegijs Senectutis apud Iurisconsc. & alios.

EXTREMVM igitur illud posset ab aliquibus forte desiderari, ad cõmentarium hunc nostrum congruo veluti sigillo claudendum; vt ea, quæ Senectuti priuilegia, summorum Pontificum decretis, Imperatorum constitutionibus, iureque communi delata reperiuntur; ac memoranda illa insignia, quæ passim magistratuum auctoritate, in tribunalibus, curijs, publicisque iudicum consessibus Senio tribuuntur, hodieque in omnibus ferè Ciuitatibus diutino vsu recepta exercentur, nos hic in vnũ collecta proferremus, atque alijs testata relinquere-mus.

Verum cum hæc permulta sint, & quæ sigillatim qua decet serie, & diligentia relata, magnã voluminis partem possent occupare: & præterea multorum in hoc eruditorum Iurisconsultorum opera magna cum eorum industria, & laude fuerit versata; qui adeò accuratè in commentarios suos omnia Senectutis priuilegia, & prærogatiuas retulerunt[a], vt nihil intactum ferè reliquerint, existimauimus nihil aliud à nobis hæc persequentibus proficisci posse, quàm rem actam (vt dici solet) rursus agere.

Præterquam quod Iurisconsulti, vt supra etiã teti-

[a] Capol. tract. de Imp. milit. deligẽdo. Io de mõte Leõ. de Senect. priuileg. Tiraq. de ũur. primogẽ. in præf. n. 80 Petrus Greg. in Syntagm. par. 1. & 2.

tetigimus, dum Senectutis priuilegia recenſent; ea potius complectuntur bona, quę externa sũt, ac in lubrico poſita, eaque vitæ commoda perſequuntur, quæ facillime nobis eripi poſſunt. Et quamuis hæc minime negligẽda putemus, quippe quæ ad Chriſtianum vſum rectè etiam dirigi poſsunt: attamen quia Bonum Senectutis, de quo nobis eſt inſtitutus ſermo, longe altioris, ac præſtantioris ordinis eſſe docuimus; hæc, vt leuiora ac notiora, in præſens prętermittenda exiſtimauimus. Quid enim quęſo magni refert quod priuilegij loco ponitur) Senes ante alios ſententiam dicere? priore loco ſedere? primos conſilijs, & decretis ſubſcribere? non poſse eos ſine venia in ius vocari? ad eos tanquam ad egregias perſonas iuramenta tranſmitti? in eundo alios præcedere? apud illos claues, annulos, ſigilla cuſtodienda deponi? in communibus actionibus eos alijs anteferri; atque alia huiuſmodi plurima, quæ in magnam illius ætatis prærogatiuam à Doctoribus celebrantur? Qualia (inquam) hæc ipſa ſunt, vt hinc vera, & ſolida Senectutis laus debeat pendere? vt alia omittamus, quæ Cato dicebat [a], diligentiſſime & Romę, & in alijs Ciuitatibus obſeruari; ſalutari ſcilicet, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli. Quæ quidem hodie Chriſtiana humilitas ad altiora aſſurgens, declinat potius, ac refugit: niſi muneris ſuſcepti, aut publici officij ratio, quædam ex ijs interdum poſtulet adhiberi.

[a] *Apud Cic. de Senect.*

Quapropter ab ijs nos ſuperſedentes, tanquam inſtituto noſtro non multum neceſſarijs; & præſertim cum ab alijs hæc copioſe ſcripta comperiantur, cupimus conſilium hoc noſtrum à benigno lectore æqui, bonique conſuli.

ac tandem operi huic noſtro finem (Deo ſuffragante)

Imponimus.

FINIS TERTIAE PARTIS.

PER-

PERORATIO

ABSOLVTIS iam illis, quæ hoc Commentario(cœlesti gratia aspirante)fuimus cõplexi: Subijt animum perplexa cogitatio; ne hęc ipsa, De Bono Senectutis inscriptio, quam operi huic præfigimus, parũ tum sacris literis, tũ veritati ipsi congruere; proindeq; tota arguméti huius tractatio præpostera potius, ac discrepãs possit iudicari. Etenim cum frequẽter legamus in diuinis monumentis, Vetustatis nomen male sonare, ac pro peccati prauitate, vt plurimũ accipi; vnde Apostolus Paulus modo Ephesios monet[a], vt deponant veterem hominem, qui corrũpitur secundum ꝙ side-

[a] Ad Ephes. c. 24

ria erroris: modo Coloſſenſes [a], vt expo-
lient veterem hominem cũ moribus, & actibus ſuis: modo Galatas [b], vt expurgẽt vetus fermentum. Imo Sancta Eccleſia in ſolemnium miſſarũ apparatu, precarĩ conſueuit: *Exue me Domine veterẽ hominem, & indue me nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia, & sãctitate veritatis:* & alibi memoretur ſæpe vetuſtas literæ; & id quod antiquatur, & quod ſeneſcit; & quod filij alieni inueterati ſunt; & vt recedant vetera de ore veſtro; & alia huiuſmodi, non ſine probri ſignificatione. Idcirco hinc poteſt oriri dubitatio: quomodo nomen hoc, quod in malam partem tam ſæpe in diuinis libris vſurpatur; nos cõtrario potius vocabulo, tanquam rẽ ſalutarem accipiamus, ac Senectutis Bonum prædicare audeamus.

Accedit, quod veritas ipſa, ac ratio hoc idem ſuadere cenſentur. Nam quod nos Senectutis Bonum appellamus, illud verius graue eorum annorum iugum eſſe agnoſcimus, & experimur; cum difficile admodum ſit, iſtud Bonum in tam confecta ætate inuenire; & longe difficilius, ad illius

[a] Ad Coloſſen. 3.

[b] Ad Galat. 3.

illius verticem eo tempore ascendere, ad quem non nisi per arctas, asperas, horridasque semitas, supra à nobis præsertim in extrema parte relatas sit perueniendum, quæ terrent potius ab illius accessu homines; ita vt quod Bonum asserimus, optandum magis videatur, quàm, vt à Senectute obtineatur, vllatenus sperandum.

Vnde sicuti qui de Rege, de Episcopo de Oratione, aut de huiusmodi excelsis munerib. monumenta cõscripta reliquerunt, censentur à nonnullis ad speciẽ potius eã commemorasse, quàm vt vsu ipse eadem impleri posse sibi persuaderent; Sic suspicãdi occasio permultis forte pręberi poterit; consilium nostrum fuisse, ea magis recensere, quæ desiderantur præstari à Senectute, quàm quæ ab ipsa verè præstari posse confidamus.

Hęc cum aliquibus, perlecto toto opere, in mentem venire, atque hinc eorum animos perturbari posse, veriti fuerimus, minime prętermittendum esse duximus, quin ea paulo exactius ad incudẽ reuocaremus: prudentum freti lectorũ iudicio, qui post rem omnem maturius expensã,

noſtrum magis hinc propoſitum confirmari, quàm vllatenus labefactari animaduertent.

QVARE à vetuſtatis nomine inciendo: cum notum ſit, hanc vocem duplici ſenſu, proprie ſcilicet, & translate accipi; non eſt dubium in ſuperiorib. ſcripturæ locis eam metaphorice ſumi, atque ad peccati turpitudinem tranferri: propterea quod, vt ait Sãctus Chryſoſtomus [a], Vetuſta res illa communi nomine dici ſolet, quæ turpis, fœtida, antiqua tur, & ſeneſcit, atque ad interitum ruit. Hę autem cum peculiares ſint peccati cõditiones, merito (appoſita valde translatione) vetuſtatis vox peccato tributa fuit.

[a] In Epi. 1. ad Cor. c. 5. hom. 15

Hincque phraſis illa loquendi olim deſumpta eſt, vt vetus homo abſolute diceretur Adamus primus parẽs noſter, omnium hominum antiquiſſimus; ex quo peccatum originale profluxit, & in poſteros omnes eſt propagatum.

At verò cum tempora fuerint poſtea immutata, atq; affixo Cruci Redemptore n ,ſtro, ſordes etiam peccatorum pretioſ illius ſanguine ablutę permãſerint,

ac

ac simul noua per gratiam fuerit in mundum creatura inuecta: pariter etiam id, quod veteris hominis, ideſt malitiæ dicebatur, iacuit (vt ait Apoſtolus) in pectoribus illis expugnatum, atque extinctũ, qui mortui peccato, viuunt iuſtitiæ: & quamuis mortale hoc corpus circũferãt, concupiſcentijs tamen eius nõ obediũt, ſed ambulant in nouitate vitæ.

Vnde etiam Chriſtus Dominus ſimilitudine quadam ſecundus Adam ab Apoſtolo nuncupatus fuit, cum ait [a]: *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem; nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem.* [a] 1. Cor. 14.

Ac propterea totum genus humanũ, duorum hominum nomine appellatum reperitur; veteris ſcilicet, qui per peccatũ corruptus erat; & noui, qui à peccati reatu fuit renouatus. Quorum nominũ Veteris, & Noui frequens eſt in hoc ſenſu apud Apoſtolum mentio [b].

Ex quibus colligitur: veteris hominis, ſiue vetuſtatis vocabulum, qđ antea turpe, odioſumq; habebatur; tantum abeſſe, vt poſt Redemptoris noſtri triumphum

[b] Ad Epheſ 4. Ad Coloſ. 3. Ad Heb. 8.

phum, Senectutem, de qua nos agimus; amplius in priſtino, & metaphorico illo ſenſu comprehendat; vt imo hodie hæc ipſa vitæ maturitas, innumeris ſanctorũ Patrum, ac fidelium Seniorum agminibus ſociata, nihil magis, quàm vitia expugnare, ſordes omnes abſtergere, ac veram vitæ ſanctimoniam ſe amplecti profiteatur. Qua de cauſa præter cæteras adducti nos fuimus, vt de Bono Senectutis libellum hunc conſcriberemus.

QVOD verò veritati repugnare dicebatur, propter arduas, & ſpinoſas eas ſemitas, quæ, ne Bono illo potiamur, frequenter in extrema hac, & conſumpta ætate aditum nobis obſtruere videntur: Id quo pacto ſit accipiendum, ne quiſquam errore decipiatur, nunc nobis eſt explicandum.

Nam ſicuti in rebus naturalibus (vniuerſe loquendo) nihil initio integrum producitur, & nihil abſolutum vndequaque: ſed omnia habent multa quidem perfecta; multa etiam illis deſunt; quæ poſtea perficiuntur; prout in plantis, arboribus, piſcibus, auibus, atque

que alijs animantibus est conspicere: Sic homo, qui inter omnia à Deo condita, rationis particeps creatus fuit, in lucẽ egreditur initio, corpore, sensu, & intellectu debilis; inde paulatim augetur, & roboratur, donec eo perueniat; vt cum multa adhuc illi deficiant, tandem suam animi, & corporis absolutionem, ac complemẽtum assequatur. Hoc continuus naturæ ipsius ostendit appetitus; quæ quidem suam sentiens necessitatem, semper aliquid petit, semper huc illuc se vertit, semper suspirat, vt amplius aliquid obtineat. At verò sapientissimus Deus, quemadmodum rebus creatis, veluti arboribus, frugibus, ac plantis sua præscripsit tempora, quibus perficerentur; cum alia vere, alia æstate, alia autumno, nonnulla etiam hyeme, siue alijs anni temporibus compleri voluerit: atq; alijs animantibus etiam certa temporum spatia prefinierit, quibus proprium robur, ac virium ualiditatem consequerentur. Sic hominis vitam suis distribuit gradibus, per quos incrementa quotidie ei accederent, donec tandem ad summam ætatem,

quæ

quæ Senctus dicitur, perueniret: in qua Bonũ illud, de quo agimus, plenius multò, ac facilius, quã in cæteris ætatib. adipiſceretur; cum eam minus perturbatam, minus improuidam, minus imperitam effecerit; plus iudicio, plus moderatione, plus religione vigentem; plus finis ſui, ad quem homo natus eſt, cognitione præditam conſtituerit.

SED quoniam non ſatis fuit æternę illi prouidentiæ, res alias creatas, temporis tantummodo conſtitutionibus, ac terminis abſoluẽdas relinquere; ſed naturaliter etiã quoſdam illis veluti inſtinctus ingenuit, quibus ad ſuas cauſas, vnde originem habuerunt, conuerterentur; indeque incrementa ſua, ac perfectiones ſuſciperent: & ideo videmus arbores, ſtirpes, et plantas, quàm maximè poſſunt, ſolem quærere; atque in terra, vnde prodierũt, radices agere: pullos, agnos, catulos, & huiuſmodi alia ad eorum genitores recurrere: quaſi vnuſquiſq; dicat; hinc habui, quod habeo; hinc referã, quod mihi deeſt: ſic hominem eadem prouidentia volui; & appetitu intimo perfectionem

ſuam

ſuam acquirendi perpetuo vrgeri, ſimul que tacitè intelligere, ad eam obtinendam neceſſariò ad Deum illius parentem, bonorumque omnium fontem ſibi eſſe confugiendum.

Quę ſanè præcipua cauſa eſt, cur vnuſquiſque maximè cupiat ſeneſcere, atque vitam in extremos annos prorogare: propterea quod cũ huius ſæculi fallacijs fatigatus, appetat, aliquando ab his fluctibus emergere, ac vera requie perfrui; ſimul cognoſcit, id non alia ratione ſibi conſequi licere, quàm ſi cum principio ſuo iungatur.

Certum enim illud eſt, vnamquamque rem quo proprius accedit ad ſua primordia, eò maiores vires, ac validiorem alacritatem inde quodammodo ſuſcipere: Sic per Senilem ætatem, quoniam homo propediem diſſoluẽdus, propinquior fit primæ cauſæ, ac fini vltimo, qui Deus eſt; propterea cupit maximè tandem peruenire, vnde ſibi maiores ſpirituales vires, & afflatus ac cœleſtes veluti inſtinctus cor nunicari debere intelligit: quibus n n ſolum

lum aduerſus res omnes, quæ Bono ſuo obſiſterent, acrius repellendas; ſed etiam ad ea, quæ ſibi ad perfectionem ſuam implendam, deficiunt, plenius, & fęlicius obtinenda, adiuuetur, ac demum cum Deo ipſo coniungatur.

CVM IGITVR ex ſuperius dictis clarè conſtet, in rebus naturalibus ad perfectionem aſſequendam, duo præcipuè requiri: videlicet tempus, quod earum ſingulis à natura fuit conſtitutum, vt in lucem prodeant, atque augeãtur; tum auxilium illud, ac adiumentum, quod eis ab illorum cauſa, & origine, ad perfectionem ſolet ſuppeditari: Sic in homine euidens eſt, eadem duo ad ſuam plenam integritatem (generaliter loquendo) concurrere debere: quorum alterum, quod temporis eſt, ad Senilem ætatem pertinet, ex rationibus aliàs à nobis deductis; alterum, à diuinæ clementię fonte, vnde omnia bona manant, & quæ prima cauſa noſtra eſt, hauriendum eſſe, ſatis conſtet. Quæ quidem nunquã deſerit, qui ad ſe cõfugiũt; ac ſingulis virtutum ſubminiſtrat incrementa.

FINIS.

ITAQVE, vt ad me ipsum reuertar: cum ex his duobus illud, quod temporis est, abunde affectæ ætati meæ suppetat, quæ ferè metam peregrinationis attingit: illud verò quòd à diuinæ pendet gratiæ thesauro; minimè tenuitati meæ, illius opẽ humiliter implorãti defuturum ésse per illius misericordiam sperare debeam: Agnosco ego sanè, quò pluribus rationibus, & exemplis, magna Senectutis Bona, eorumque adipiscendorum rationem alijs proponere elaboraui; eò magis hoc mihi ipsi incumbere, vt eadem moribus, ac vitæ institutis plenè exprimere contendam.

Fertur insignis olim pingendi arte opifex, cum varia de coloribus, vmbris, luminibus, interuallis, quantitatibus, lineamentis, ac tota affabrè pingendi industria, documenta conscripta reliquisset; tandem hominis speciem omnia à se tradita complectentem, ad rerum, quas docuerat, exemplar effinxisse: quod satis esse non duceret, verbis, & regulis multa pronunciare, nisi eadem opere ipso exprimerentur.

ic

Sic optaſſem ipſe, ea quæ Commentario noſtro de Senectutis Bono, atque eius fructibus, complexi ſumus, re ipſa præſtare, ac virtutum meritis eadem ad viuum referre.

VERVM, quod hactenus imbecillitati meę aſſequi non licuit; fretus tamen inexauſto illo benignitatis fonte, ſperare non deſinam, quo minus extremam hãc occidentis vitæ meæ metam, eorum ſaltem Senilium Bonorum, quæ in hunc librum congeſſimus, commemoratione excitare dignetur, ac præteriti temporis damna ſarcire largiatur.

Et quoniam Ieremias Propheta nos admonuit [a]: *Interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, et inuenietis refrigerium animabus veſtris:* Sic ego eundem Dominum ſupplex rogabo, vt reliquos properantes vitæ meæ dies, in has ſemitas ſalutari manu ſua quamprimum dirigat; vt tandem optato Senilium Bonorum refrigerio, liceat mihi, per eius gratiam, in cœleſti patria perfrui.

[a] Ierem. c. 6.

FINIS.

ALEXANDER PP VI VALENTINUS FERDINANDUS DEI GRA REX ARAGONUM